





DE
ÆTERNA DEI
PRÆDESTINATIONE
ET ORDINATA OMNES
SALVANDI VOLVNTATE
EXERCITATIO

1646, 1

27

Quam
Assistente **DEI OPT. MAX. gratia**

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS BEHMII, S. Th. D.
& Professoris emeriti, Promotoris sui
eâ, quæ senioribus & emeritis debetur,
observantiâ prosequendi,

Publicè in Acad. Elect. Brand. Regiomont.

IX. Mart. disputandam propono

M. JOHANNES LATERMANNUS
Coburgo - Francus.

Phil. Melancton epistolâ ad Imperatorem Carolum.

*Habet suas metas moderatio. Luceat in ecclesia
veritas, quam filius DEI è sinu patris allatam
patefecit.*

REGIOMONTI,

Typis **JOHANNIS REUSNERI,**

MDCLXVI.

Königsberger Druck.

ILLVSTRISSIMO VIRO
Dn. ZBYGNEO GORAISKI
DE GORAI, CASTELLANO
Chelmeni & Senatori Regni
Poloniæ longè gravissimo
DOMINO SVO GRATIOSISSIMO
S. D.



*U*ti historiam omnium retrò seculorum, quotquot à nato Servatore hucusq; præterfluxerunt, paulò attentius contemplatus fuerit, nullum eorum feracius controversiarum, nullum feracius contentionum seculò superiori extitisse, haud facillè inficias ibit. Postquam enim post Orientalem ecclesiam jam pridem ab Occidentali divulsam, ipsa etiam Occidentis ecclesia deplorando schismate in tres magnas partes divisa est, non tantum inter diversos diversarum partium doctores magnà animorum concussione de innumeris ferè disceptatum fuit, sed illi etiam, qui uni parti addicti fuerunt, de multis sepiusimè vehementer inter se sunt collisi. Tanta autem & tam virulenta inde enata sunt odia, ut res omnem prope modum fidem excedat. Unde etiam Deus mutuis illis Christianorum odiis, cum ea toto animo aversetur & detestetur, ad iram provocatus, universam Europam, cum primis autem Germaniam nostram internecino bello tot annos afflixit & adhuc, eheu! affligit. Quam ob causam non tantum reip., sed etiam ecclesie in Germania facies, quæ florentissima quondam erat, adeò misera nunc est, ut lachrymæ ad eam deplorandam vix sufficiant. Quæ mala cum gloriosissima memoria Imperatores Carolus V. Ferdinandus I. & Maximilianus II. prævidissent, de componendis religionis disidiis anxie fuerunt solliciti. Media, quibus optimum & omnium votis adhuc expetendum finem obtineri posse crediderunt, Colloquia fuerunt, inter dissidentes partes instituenda; quorum aliquot etiam instituta sunt. Sed experientia hætenus docuit,
collo-

Colloquiis effici aut nihil, aut parum posse. Quin de futuro feliciores colloquiorum successus vix sperandi videntur, nisi disfidentium partium doctores positis odiis conveniant, & interveniente supremi magistratus autoritate non existimationis suæ, non partis, cui adherent, sed veritatis & concordie rationem unice habeant. Quod quam difficulter fiat, ut nimirum vincant semper veritas (verba Philippi Melanctonis mea facio,) gloria Dei & salus ecclesiæ, non privati affectus ulli, experientia satis superq; testatur. Una præterea pars ab altera in nullo planè reprehendi vult, ne in pluribus suspecta fiat. Qualibet etiam sibi firmiter persuasum habet, se ab omnibus omninò corruptelis, erroribus & abusus immunem esse. Quæ cum ita sint, haud illubenter crediderim, longè efficacius fontico ecclesiæ malo medicinam fieri posse, si studia reslorescant & paulatim accuratius tractentur. Qui enim paulò solidiori doctrinâ instructus est, primò videre facile potest, multa in S. Theologia adeò esse difficilia, ut in hac imbecillitate naturæ expediri satis non possint. Qui procedunt in doctrinis, (ait iterum communis Germaniæ præceptor in epistolâ, quam de disidiis præsentium temporum inscripsit,) magis vident, quanta moles sit rerum, quæ discendæ sunt, & quantum onus sit perspicua explicatio difficilium controversiarum. Crescunt igitur simul & discendi cura, & molestia, & invocatio Dei. Quò quis videlicet doctior, eò semper etiam modestior, eò moderatior, eò ad divinam opem implorandam promptior. Præterea, qui paulò rectius & accuratius institutus est, perspicere haud difficulter potest, in Philosophiâ nostrâ Christianâ multa, imò innumera ferme ita comparata esse, ut in iis cuilibet suò sensu abundare integrum sit. De quibus, ut & primi illius generis questionibus, si quid iste frater aliter quàm iste sentit, depositâ dissensionis amaritudine, & fraternæ caritatis suavitate servatâ, atq; in integrum restitutâ, diligenti & tranquilla consideratione quærendum, vel discendum, vel docendum, ut præclare alicubi S. Augustinus loquitur. Deniq; qui accuratâ doctrinâ imbutus est, & cum primis etiam antiquitatis ecclesiasticæ cognitionem habet, ut sciat, quam fidem ecclesiæ unanimi consensu semper tenuerit, is optimè intelligit, nonnulla adeò necessaria esse, ut ab iis ne latum, quod dicitur, unquam recedere liceat. Unde nihil quicquam commercij sibi cum ijs intercedere patitur, qui sententias dudum ab universali ecclesiâ damnatas amplectuntur. Sed quò dilabor? tantum de fructu Colloquiorum

A 2

aliquid

aliquid dicere volebam. Vidisti, Illustrissime Domine Castellane, quid Thorunij nuper effectum sit. Nihil sanè ullius boni viri laudibus quicquam detractum volo, Tuis quoq; , colendisime Domine, auribus nihil dabo; dicam tamen, quod & res ipsa loquitur, & virtus Tua meretur. Si omnes, quorum in nupero colloquio Thoruniensi magna erat autoritas, eâ rerum Theologicarum scientiâ instructi, eâ prudentiâ, eâ deniq; animi moderatione pradii fuissent, quibus Illustritas Tua claruit, longè feliciores successus sortitum esset negotiū illud, cum immortalis nominis gloria à Constantino Sarmatico tentatum & inchoatum. Quòd si ego Thorunij nihil aliud consecutus sum, de eo tamen mihi gratulor, quòd in magnorum virorum notitiam, nonnullorum etiam amicitiam pertingere datum est, nec non copia fuit, cum excellentissimis omnium partium doctoribus de controversis doctrina capitibus communicare. Contuli autem cum Clarissimis partis Reformatorum viris tum de aliis inter nos & ipsos controversis doctrinis, tum, & cum primis quidem, de presentia corporis Dominici in sacra cœna atq; de aeterna Dei predestinatione. De quibus etiam illâ occasione Thorunij quaedam annotavi & in usum privatum seposui. Quae cum Regiomonti, quò studiorum gratiâ Thoruniò concessi, recoluissem, & plures de iisdem cogitationes suscepissem, de posteriori capite aliquid conscribere & publico dare constitui. Evulgo igitur & doctorum virorum examini eâ, quâ par est, modestiâ hanc lucubrationem meam submitto. Eandem Tuo, Illustrissime Domine Castellane, nomini sacram esse jubeo & inscribo, idq; propterea, quòd eximias Tuas virtutes, quas Thorunij omnes boni admirati sunt, adhuc veneror & semper venerabor. Mirabuntur fortasse multi hoc meum institutum, praesertim, cum materia, quam tracto, inter meam partem & eam, in qua Illustritas Tua vivit, praeter ceteris maximè controversa sit. Sed illi ignorant, Illustritatem Tuam in nostram, quae ut antiquior ita verior est, sententiam valdè propendere, & eâ esse animi moderatione, ut etiamsi in nonnullis diversum fortè sentiat, placidam tamen veritatis inquisitionem gratam habeat atq; acceptam. Accipe igitur, Illustrissime Vir, hoc, quicquid est, muneris serenâ fronte, & bono ecclesiae ac reip. diu feliciter age. Me quoq; gratioso favore Tuo, quò cœpisti, amplectere indefinenter. Scripsi hac in Academia Electorali Brandeburgica, quae Regiomonti Borussiae est, XIIIX. Febr. Anno
Lc c XLVI. Illustrit. Tuæ

observantissimus
M. JOHANNES LATERMANNUS, Autor.

CUM DEO.

I.



S. Theologia extra con-

troversiam omnium disciplinarum & nobilissima est, & difficillima. Nobilissima & præstantissima jure meritoq; propterea audit: sive enim ad rerum cognitionem, quæ Theoreticis disciplinis suam nobilitatem tribuit, sive ad finem, à quo Practicæ suam derivant præstantiam, hîc respicias; semper hæc disciplina cæteras omnes multis post se parasangis relinquit. Ad cognitionem rerum quod attinet, adeo sublimis illa est in hac disciplina, ut sublimior alia nulla detur, præterquam summa illa, cujus beneficiô in meliori post hanc vitam vitâ Deum videbimus *à facie ad faciem*, sive, ut S. Johannes loquitur, *sicuti est*. Finis, quem ductu augustissimæ hujus disciplinæ consequimur, est summus & omnium ultimus ille, æterna vid. animi juxta ac corporis beatitudo. Hæc igitur ita se habent. Ut autem nobilitate & præstantiâ omnes vincit hæc disciplina, ita præ cæteris etiam maximis obnoxia est difficultatibus. Quamquam enim ea, quæ scitu ad salutem necessaria sunt, planis & perspicuis in Scriptura verbis tradantur, proponi tamen, & eâ, quâ par est, dexteritate sine multis aliunde arcessendis adminiculis explicari non possunt. Ea porro est humanæ mentis curiositas, ut in cognitione rerum etiam altissimarum limites sibi non ponat, sed ulterius progrediatur & ea investigare conetur, quæ à revelatis illis longissimè absunt. Fit etiam, ut nonnunquam magistri augustissimæ hujus disciplinæ ob insultus hæreticorum, ubi *in vitium vitiô alienô*, ut Hilarius loquitur, *coarctantur*, ad scrutandum mysteriorum modum descendere necesse habeant. Accedit deniq; & difficultatem auget ipsa rerum, quæ hîc tractantur, sublimitas & obscuritas: à communi enim aliarum rerum ratione & sensu tam longè abeunt, ut intellectus noster hîc plus quàm cæcutiat.

1. Cor. XIII

12.

1. Job. III. 2.

A 3

II. Quòd

II.

Quòd si autem ulla doctrina in universâ Theologiâ difficilis est atq; perplexa, est certè illa, quæ circa *aternam Dei prædestinationem*, necessitatem gratiæ, ejusdem cum libero arbitrio concursum, & si quæ plura huc pertinent, occupatur. Præterquam enim, quòd *duo periculi plenissima præcipitia simul hîc evitanda sunt*, unum, *ne cum Pelagio quicquam eorum, quibus ad æternam vitam promovemur, gratia Dei detrahamus & nobis arrogemus*, alterum, *ne gratiam illam ad paucos restringamus & multorum interitum denegata gratiæ acceptum feramus*; adeò etiam, voragine istas evitare, difficile est, ut non tantùm hæretici hîc præcipites ruant, sed orthodoxi etiam ecclesiæ doctores in alterutram istarum voraginum parumper alterum pedem nonnunquam immittant. Sanè ex quo in ecclesiâ orta sunt de istis certamina, paucissimos fortè reperias, qui non in devia hîc abrepti fuerint. Ab una parte ipse *S. Augustinus*, qui inter omnes antiquos, Græcos pariter & Latinos Patres præcipuus habetur, quiq; difficultatibus istis primus implicatus fuit, in erroneas, ut mollissimè loquamur, sententias hîc prolapsus est, & multos post lapsum ob denegatam à Deo gratiam æternùm perire, existimavit. Ab altera parte Masilienses impegerunt, & plus justò liberi arbitrij viribus attribuerunt, vel certè attribuere visi sunt. Unde etiam à Patribus secundæ Arausicanæ synodi erroris quidem notati, haudquaquam tamen anathemate perculsi atq; extra limites ecclesiasticæ communionis projecti sunt. Augustinus eos *fratres* suos appellat, & quamvis in nonnullis errent, à Pelagiano tamen errore longissimè abire, fatetur. *Retenta ista, inquit, in quæ pervenerunt, plurimùm eos à Pelagiano errore discernunt*. Et iterum de iisdem Masiliensibus locutus: *Fratres nostri, ait, qui nobiscum pro catholica fide perniciem Pelagiani erroris impugnant*.

*l. de præd.
san. c. 1.
l. c. cap. 14.*

III.

Quæ cum ita se habeant, fit inde, ut omnes omnium seculorum, omniumq; partium doctores unò ore de difficultate materiæ hujus conquerantur. Jamiam meritò suò laudatus *S. Augustinus*, quem certamina illa præ omnibus aliis maximè exercuerunt, quiq; propterea unus instar omnium esse potest, disputationem de gratiâ & libero arbitrio *difficillimam & paucis intelligibilem questionem* vocat,

ep. XLVI.

cat, accommodans huc locum S. Petri, ubi is in epistolis Pauli difficilia quædam notat. Idem Augustinus alibi veteres Scripturarum divinarum tractatores hanc *de gratia difficilem ad solvendum questionem breviter & transeunter tantum attigisse*, dicit. Autor librorum *de vocatione gentium*, qui Augustino *ὁ γρηγορος*, vel certe ævo ejus proximus fuit, & præ cæteris accuratè de hac materia scripsisse videtur, in frontispicio operis sui ista habet: *Inter defensores liberi arbitrij & predicatores gratia Dei magna & difficilis dudum vertitur questio. Queritur enim, utrum velit Deus omnes homines salvos fieri. Et quia hoc negari non potest, cur voluntas omnipotentis non impleatur, inquiritur. — Iterum queritur, cur hoc donum, sine quo nemo salvus est, ab eo, qui omnes salvari vult, non omnibus conferatur. Hæc ille.* Sed quid Augustinum, quid Autorem librorum de vocatione gentium adducimus? Ipse Apostolus Paulus, (quod animo nunquam excidere debet,) cum tria integra capita, IX. vid., X & XI. epistolæ ad Romanos doctrinæ de prædestinatione impendisset, tandem his verbis ei colophonem imponit: *O profundas divitias tum sapientia tum cognitionis Dei! quam inscrutabilia sunt ejus judicia, & ejus via impervestigabiles! quis enim cognovit mentem Domini, aut quis ei fuit à consilio?* Huc tandem in hisce delabitur Apostolus, qui in tertium cælum raptus ἀρρητὰ ἑρμηνεία ineffabilia verba ibi audivit. Hic tandem, ubi nullum alium exitum videt, sistit præcipuus ille magister gentium, qui non per homines sed divinitus eruditus fuit, ut Autor librorum *de vocatione gentium* loquitur, qui propterea alibi præclarè in hunc modum commentatur: *Agnosendum est, inquit, secreti hujus profunditatem nobis in hac vita patere non posse. Ex parte enim scimus & ex parte prophetamus, & videmus nunc per speculum in enigmate. Nec sapientiores aut scientiores beatissimo Apostolo sumus, qui, cum de gratia potentia disputaret, magnorum mysteriorum ingressus arcanum, iis, quæ impossibile erat enarrare, succubuit. Cum enim dixisset: Nolo vos ignorare fratres & c. Recitat pluscula ex undecimo ad Romanos, & subjungit: Cum ergo (Apostolus) hæc divinorum operum mysteria, supra mensuras humana intelligentia excellentia, quodam mentis sue profudisset excessu, totam expositionis rationem transtulit ad stuporem, & admirator eorum, quæ protulerat, exclamavit & dixit: O altitudo divitiarum sapientia & scien-*

l. de præd. sanct. c. 14.

Rom. XI.

33.

2. Cor. XII.

l. 1. c. 7.

l. 1. c. 4.

scientia Dei! Hæc paulò ante laudatus scriptor. Unum addo, quod difficultatis certum argumentum est. Doctores ultimorum seculorum, & hujus nostri cum primis ævi, non tantùm in diversissimas hinc abeunt sententias, sed adeo multa, adeo intricata de hac materiâ scripserunt, ut si quis omnes eorum libros evolvere & singula in iis perscripta excutere velit, per omnes vitæ suæ dies labore isto vix ac ne vix quidem defungi posse videatur, utut aliis profundius se non immergat.

IV.

Quamquam autem hæc ita sint, certum tamen est, istam de *prædestinatione, de gratia & libero arbitrio* doctrinam, si remotis, aut saltem in medio relictis, difficilioribus quæstionibus planâ ac simplici ratione ex Scriptura proponatur, ad commendandam DEI bonitatem & *φιλαρθεωπίαν*, ad animos hominum afflictos & jacentes erigendos ac sustentandos, ad promovenda veræ virtutis studia, uno verbo, ad juvandam Christianam praxin totam comparatam esse. Uti contra ad eandem si non planè subvertendam, certè sufflaminandam composita est, si ex absconditis Dei decretis & naturâ decretorum illorum arcessatur, ac proinde inextricabilibus quæstionibus implicetur, ut tota exercitatio nostra manifestum faciet. In quâ propterea ad ea, quæ in Scripturis clara sunt atq; perspicua, adeoq; praxin Christianam faciliorem reddere possunt, unice respiciemus. Reliqua cœlesti scholæ reservabimus, memores illius Apostolici: *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Quæ Deus occulta esse voluit, inquit Scriptor de vocatione gentium, non sunt scrutanda. Quæ autem manifesta fecit, non sunt neganda, ne & in illis illicitè curiosi, & in istis damnabiliter inveniamur ingrati.*

1. Cor. XIII

9.
1. 1. 6. 7.

V.

Et ut porro, quid nobis in hac exercitatione propositum sit, manifestum fiat, non lubet rem nunc ab ovo, quod dicitur, arcessere. Notum est & jam ante insinuatam, disputationes istas de gratia seculo post natum Servatorem V. initium suum sumsisse, ex quo vid. Pelagius surrexit & gratiæ divinæ necessitatem impugnavit. Cui vaferrimo hæretico Deus, qui semper, quò acriores veritatis hostes surgunt, eò alacriores eius defensores excitat, *magnum Augustinum* opposuit. Qui Afer Britonem illum in iis, quæ maxime

mè

mè necessaria sunt, fortiter adeo debellavit, ut titulis, quibus hinc inde S. Paulum exornat, ipse optimò jure gaudere, adeoq; *praclarissimus commendator & magnificus defensor gratia* audire debeat. Nolumus etiam (ut omnia, quæ post Augustinum tum ab aliis, tum à Scholasticis, qui ita vocantur, doctoribus disputata sunt, silentio prætereamus) ea attingere, quæ sub initium Reformationis inter *B. Lutherum nostrum & Erasmum Roterodamum* aliosq; virium liberi arbitrij propugnatores ultro citroq; scripta & disputata fuerunt. Nec afferemus certamina inter nostros & Reformatos, quæ tempora B. Lutheri subsecuta sunt, & in hunc usq; diem perdurant. Nihil etiam dicemus de eo, quantâ animorum contentione omnis *Dominicanorum & cæterorum Thomistarum familia cum Jesuitarum* sodalitis hîc confligat. Hæc omnia igitur transeant. Nobis in præsentiarum animus est, ostendere, qua in sententia Reformati in Synodo nationali Dordracena cõstiterint, quid item ex illo tempore in doctrina illa, communi omnium consensu tum approbata alij mutarint, quousq; progressi sint, & ubi adhuc hæreant. Inprimis autem, quantâ fieri poterit brevitate & perspicuitate, ob oculos ponere constitutum habemus, quæ difficultates Reformatorum de prædestinatione sententiam premant, quæ item nostram, & quomodo ac quousq; istis, quæ nostram partem urgent, satisfieri possit. Monstrare etiam pro virili nostra conabimur, quid alteri in hac doctrina consecrarium sit, quid non sit; quæ consistere possint, quæ item simul stare non possint, ut ita hæc tantopere intricata & impedita doctrina reddatur quàm expeditissima.

VI.

Præterea notum est, *Reformatos*, quoties tum in *Synodo Dordrechtana*, tum aliàs sententiam suam antiquitatis calculò comprobare satagunt, Augustinum in medium producere. Ulterius videlicet, quia omnes primorum quatuor seculorum Patres nostram tumentur sententiam, adscendere non possunt. Ut autem de mente Augustini, de qua non aliunde, quàm ex indubitatis ejus scriptis certi esse possumus, constet; ipsa Augustini verba, ubi ad singula propositæ doctrinæ capita ventum fuerit, in medium afferemus. Quod ubi fecerimus, eos opinione suâ falli apparebit, qui inter Reformatos, Augustinum in omnibus suum esse, firmiter sibi persuasum habent.

B

bent.

bent. Nunquam certè tantæ sanctitatis vir somniavit, nedum do-
 cuit, hominem semel in gratiam receptum, quantis etiam & quàm
 atrocibus criminibus sese polluat atq; contaminet, gratiâ Dei ex-
 cidere & Spiritum S. amittere non posse; Hoc Augustino in men-
 tem nunquam venit, ut ipsis eius verbis postea clarum faciemus.
 Quòd si nonnullis in locis deprehendemus, tantum doctorem in er-
 rores prolapsum esse, ut sanè prolapsus est, discemus, & quidem ex
 mente ipsius Augustini, adeoq; pace eius discemus, *solis eis Scriptu-
 rarum libris, qui Canonici appellantur, hunc timorem honoremq; defer-
 re, ut nullum eorum autorem scribendo errasse firmissimè credamus, quæ
 verba Augustini in vulgus notissima sunt.* Alibi idem modestissi-
 mus ecclesiæ doctor ita loquitur: *Neq; enim quorumlibet disputa-
 tiones, quamvis catholicorum & laudatorum hominum, velut scriptu-
 ras Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salvâ honorificen-
 tiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare
 atq; respuere, si fortè invenerimus, quod aliter senserint, quàm veritas
 habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego
 sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.* Hæc
 iterum Augustinus. Deniq; cum in libris, qui de vocatione genti-
 um inseribuntur, multa contineantur, quibus ea, quæ obscura hîc
 sunt, illustrari, & quæ difficilia, explicari possunt; semper, ubi com-
 modum erit, nonnulla inde excerpemus & huc transferemus. Ad-
 scripti olim fuerunt libri illi S. Ambrosio, (cujus proinde operibus
 adhuc inserti sunt,) sed falsò: autor enim librorum l. i. c. 7. nomi-
 natim adversus Pelagianos, qui post mortem S. Ambrosij demum
 exorti sunt, disputat, ut Erasmo in præfatione, quam secundo ope-
 rum Ambrosij tomo præmisit, observatum est. Idem Bellarminus
 notat, & libros istos S. Prospero tribuit; quamquam dubiè senten-
 tiam suam proferat, planè ut de Eucherio Lugdunensi Erasmus.
 Johannes autem Costerius dictos libros in sua, quam eis præmisit,
 epistola Prospero Aquitanico indubitatò transcribit, seq; ex multo-
 rum veterum exemplarium collatione deprehendisse adseverat,
 quòd S. Prosper autor illorum sit. Alij in antiquitate ecclesia-
 stica versatissimi viri eos nemini certò adscribere audent. Sed quic-
 quid de his omnibus sit, certum est, scriptorem illum esse antiquum,
 & *res ipsa loquitur, ut ait Erasmus, hominem fuisse in sacris literis be-*

ep. CXI.

l. de script.
eccl. in
Ambrosio.

ne exercitatum, ingenio sano & acuto. Unde feliciter plerasq; difficultates expedit, ut infra videbimus. Jam ad rem.

Tu mentem & calamus dirige CHRISTE meum.

VII.

Cum impia & absurda Calvinii, Bezae & aliorum de praedestinatione doctrina a nostrae partis doctoribus, cum primis autem felicissime ab Aegidio Hunnio, oppugnata fuisset, effectum equidem est, ut nonnullis adversae partis displicere inciperet, & eos in mitiganda illa occupatos redderet. Id tamen obtineri non potuit, ut aut multorum aut communi omnium consensu horridae nonnullae sententiae improbarentur & reiicerentur. Deus igitur in medio Reformatorum acerrimum veritatis adfertorem excitavit, *Jacobum Arminium*, qui anno hujus seculi V. cum *Francisco Gomaro*, ultimo, ut existimatur, rigidissimi absoluti decreti patrono, in arenam descendit, & quod doctrina Calvinii naturae Dei, naturae hominis, naturae aeternae vitae ac mortis e diametro repugnet, injuria porro in Deum, ignominiosa Christo Servatori sit, & fundamentum non Christianae tantum sed omnis in universum religionis evertat, orbi Christiano luculentissime demonstravit. Ut autem, teste Romanorum sapientissimò, *tam bene cum rebus mortalium comparatum nunquam est, ut optima pluribus placeant*; ita hic etiam numerus male sentientium prevaluit, & eos, qui bonitate causae superiores erant, oppresit. Anno videlicet XIIIX. currentis seculi, cum *Gomaristae* seu *Contra-Remonstrantes* magistratum etiam in partes suas pertraxissent, Dordrechtii synodus nationalis coacta fuit. Ubi non tantum ex Belgicis, sed exteris quoque provinciis ac regnis, *Magna vid. Britannia, Palatinatu Electorali, Hassia, Helvetia*, aliisque ecclesiis ac rebus pub. Reformatis doctores istius partis conveniunt. Caeterum Jacobi Arminij sectatores (qui occasione remonstrantiae, quam Belgae vocant, h. e., libelli supplicis, quem pro obtinenda mutua tolerantia illi obtulerant, *Remonstrantes*, & a duce suo Arminio *Arminiani* dicti sunt) cum nondum sufficienter auditi, nedum erroris convicti essent, condemnati & tantum non publice proscripti sunt. Quae injuriae atrociam, ut videtur, permoti, ad alia postmodum dilapsi sunt, & non tantum *fundamentissimam ecclesiae fidem* de peccato originali, ut S. Augustinus loquitur, labefactarunt,



verum etiam alia, & quidem præcipua ac maximè necessaria Christianæ doctrinæ capita sollicitare cœperunt, & quod caput rei est, novis Photinianis, qui omnes ab universa Christi ecclesia dudum damnatas hæreses ex orco reducant, portam ecclesiæ patere voluerunt. Quâ insigni maculâ suam ob susceptum optimæ causæ patrocinium primitus indeptam laudem haud parum contaminarunt.

IIX.

Cæterum utut *Contra-Remonstrantes* veriori sententiæ locum in omnibus dare noluerint, aliquid tamen hæsit, aliquid in melius commutatum est. Sententia Zvinglij, Calvini & aliorum fuerat, Deum condidisse hominem hac fini, ut in peccatum prolabatur & quoad maximam suorum posterorum partem æternum pereat. Quæ doctrina cum Deum opt. max. peccati autorem & injustitiæ manifestò reum faciat, adeoq; ita comparata sit, ut ad eam Christianus animus meritò exhorrescat, repudiata fuit à *Contra-Remonstrantibus*, & communibus omnium, quod sciam, suffragiis in hanc itum est sententiam: Deum condidisse hominem rectum; illum autem suâ sponte à Deo defecisse & per peccatum se unâ cum omnibus posteris in barathrum æterni exitij præcipitasse. Deum igitur constituisse, ex illis, quos optimò jure omnes damnare potuisset, pro suo beneplacito nonnullos seligere, iisq; ad declarandam benignitatem suam per Christum æternam salutem restituere; alios autem ad demonstrandam justitiam in damnatione, in quam seipfos præcipites egerunt, relinquere. Verba *Contra-Remonstrantium*, ubi communis omnium Dordrechtii congregatorum doctrina proponitur, ita habent: *Homo ab initio ad imaginem Dei conditus, verâ & salutari sui creatoris & rerum spiritualium notitiâ in mente, & justitiâ in voluntate & corde, puritate in omnibus affectibus exornatus, adeoq; totus sanctus fuit: sed diaboli instinctu & liberâ suâ voluntate à Deo discedens, eximiis istis donis seipsum orbavit. Et rursus: Cæterum æternam & gratuitam hanc electionis nostræ gratiam eo vel maximè illustrat, nobisq; commendat Scriptura sacra, quod porro testatur, non omnes homines esse electos, sed quosdam non electos, sive in æterna Dei electione præteritos: quos scilicet Deus ex liberrimo, justissimo, irreprehensibili & immutabili beneplacito decrevit in communi*
mise-

*Sess. 136.
cap. 3. & 4.
art. 1.*

*Ibid. c. 1.
art. 15.*

miseria, in quam se suâ culpâ precipitarunt, relinquere. — Atq; hoc est decretum reprobationis, quod Deum neutiquam peccati autorem, (quod cogitatu blasphemum est,) sed tremendum, irreprehensibilem & justum iudicem ac vindicem constituit. Hæc ibi. Ubi autem confessio ecclesiarum Belgicarum recitatur, articulo XVI. hæc legimus: Credimus, posteaquam tota Adami progenies sic in perditionem & exitium primi hominis culpâ, precipitata fuit, Deum se talem demonstrasse, qualis est, nimirum, misericordem & justum. Misericordem quidem, eos ab hac perditione liberando & servando, quos æterno & immutabili suo consilio, pro gratuita sua bonitate in Jesu Christo Domino nostro elegit & selegit, absq; ullo operum eorum respectu; justum verò, reliquos in lapsu & perditione, in quam sese precipitaverant, relinquendo. Hæc ita in confessionibus suis Contra-Remonstrantes. Idem postmodum in omnibus & singulis exterorum Theologorum judiciis reperitur.

IX.

Quantum autem inter priorem Calvini & posteriorem Dordracensium, sive inter *Supralapsariorum* (liceat horridis vocabulis semel tantum atq; iterum uti) & *Infralapsariorum* sententiam interfit, facilè liquet; & potest discrimen illud similitudine aliqua ob oculos poni. Sit vir nobilis, qui in confinio Turciæ habitat. Is subditos suos in munitissimum castellum convocat, præferens, se paulò lautiori prandiò eos excepturum & parumper exhilaraturum. Dum autem optimi subditi appositis ferculis manus admovent, adveniunt Turcæ. Nobilis eos sponte animi & nullâ cogente necessitate Turcis affligendos & in perpetuos carceres includendos tradit. Ubi exiguum tempus effluxit, cum Turcis paciscitur & paucos ex illis certâ pecuniæ summâ redimit, quos sc. ei pro suo beneplacito visum redimere. Ad hunc modum se habet *Supra* vel *Antelapsariorum* opinio. Decrevit vid. secundum eos Deus, ut genus humanum laberetur, seq; æterno exitio involveret. Inde pro mero voluntatis suæ beneplacito alios eripere, alios autem relinquere statuit. Sententiæ verò *Infralapsariorum* similitudo ista typus fuerit, si dicamus, subditos sese præ mera petulantia ex munitissimo castello (in quo si mansissent, tuti fuissent) in apertum campum proripuisse, & ita suâ culpâ in manus Turcarum venisse atq;

in perpetuos carceres immisos esse. Solvisse nobilem illum virum pro nonnullis, pro quibus voluit, justum precium, atq; ita eos redemisse; pro reliquis autem non solvisse, sed eos pro lubitu suo reliquisse, ut temeritatis & petulantiae suae poenas luant. Ad eundem modum ex sententia Dordrechtanorum homines non decreto Dei sed suâ culpâ in potestatem diaboli venerunt. Ita autem Deus secundum illorum sensum se gerit, ut eorum, quos justè omnes relinquere potuisset, aliquos pro beneplacito suo liberet, reliquos autem, quia ita videtur, prætereat. Prior itaq; sententia Deum injustum facit, posterior non item.

X.

loc. de
præd.
p. 772.

Id quod porro ita patet: *Cum enim omnes homines in Adamo peccaverint, & rei sint facti maledictionis & mortis aeternae, Deus nemini fecisset injuriam, si universum genus humanum in peccato & maledictione relinquere ac propter peccatum damnare voluisset, ut rectè habet initium prioris paulò ante productæ confessionis. Cui etiam adstipulatur Hunnius noster, ὁ μακαριεῖνος, quando ita scribit: Non inficior, si Deus homines suâ sponte in peccatum prolapsos reliquisset ad unum omnes in sua miseria, in quam suâ propria culpâ devenissent: quòd non propterea facturus fuerit justitiæ suae jacturam.* Hæc ille. Quòd si autem citra cujusquam injuriam fit, si omnes damnentur, quomodo cum ullius injuria conjunctum erit, si ex omnibus illis aliqui in exitio, in quod suâ se culpâ præcipitarunt, relinquuntur? Simile quid inferius in nostra doctrina occurret. Statuimus vid., Deum justè permittere potuisse, ut gentes, quæ exhibitò jam Servatore communem hanc lucem adspexerunt, non minus luce verbi divini carerent & *suas ipsarum vias incederent*, ac illis gentilibus id ob culpam majorum permisit, qui ante exhibitum Christum spatium tot seculorum emetiti sunt. Quemadmodum igitur Deus injustitiæ accusari non potest, quòd, cum ob verbum suum semel contemptim habitum omnes liberorum Noachi posteros in tenebris relinquere potuisset, aliquos quidem reliquit (eos vid., qui tempora Christi præcesserunt,) alios autem, qui post Christum nati sunt, luce verbi sui iterum dignatus est: ita idem Deus injustitiæ insimulari nequit, si ponatur, eum, cum ob communem culpam omnes Adami posteros damnare potuisset, alios quidem damnare, alios autem

autem pro beneplacito suo liberare & servare. Utrobique illud justitiæ est, istud misericordiæ. Unde Augustinus: *Hæc, inquit, massa, humana sc. si esset ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam.* Cum verò per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem universa defluerit, proculdubio, quod ex ea fiunt vasa in honorem, non ipsius justitiæ, quæ gratiam nulla præcessit, sed Dei misericordiæ: quòd verò in contumeliam, non iniquitati Dei, quæ, absit, ut sit apud Deum, sed iudicio deputandum est. Hæc Augustinus.

XI.

Atque ad hunc modum Reformati impietatem illam Zvinglij Calvini, Bezæ & aliorum de genere humano ad lapsum & perditionem condito in Synodo Dordracena missam fecerunt. Quam ob causam iis cum pl. Reverendo Dn. Præsidente meritò gratulamur. *Diff. de Nonnulli etiam de rejectione duriorum & scandali plenissimarum locutionum, quæ in multis partis istius scriptis reperiuntur, in eadem Synodo solliciti fuerunt. Quem in finem rationes quadam in utramque partem à Theologis Magna Britannia, Hassiacis & Bremensibus, aliisque propositæ fuerunt, ut Acta sessionis 132. habent. Sed impeditus fuit præclarus iste conatus, additur enim: Quibus utringue diligenter expensis, visum fuit potioribus suffragiis, rejectionem incommodiorum locutionum esse omittendam.* Ita non pondere quidem sententiæ, attamen numero suffragiorum superiores fuerunt, qui ferre non possunt, ut majoribus duriores saltem locutiones tribuantur, nedum ut erroris alicujus insimulentur; cum tamen nemo eorum, quorum operâ Deus in reformationis ecclesiasticæ negotio usus est, donum *ἀναμάρτιας* habuerit, adeoque à periculo errandi immunis fuerit. Humani quid est, fateor, si quæ ab iis, quos aliàs veneramus, minùs rectè adstructa & prolata deprehendimus, ea verbis extenuare & excusare. Sed ubi errores manifesti, & quidem in rebus magni momenti occurrunt, erroneum esse agnoscendum est, quòd commodâ interpretatione juvari & excusari non potest. In Synodo igitur Dordracena de majoribus dici potuisset: Homines fuerunt: quis igitur humani quicquam ab iis alienum putet? Sed factum id non est, & ita salva mansit illa contentionum materia, illa litium infausta seges, ut hac de re in literis ad Ludovicum

cum

cum Crocium conqueritur Josephus Hallus, episcopus Exoniensis in Anglia, cujus verba digna sunt, quæ hîc legantur. Memineris tu probe, inquit, mi CROCI, ubi me nimis iniqua valetudo invitum ab illo doctorum virorum confessu abripuisset, incidisse questionem non hercule intempestivam sessione 132. de rejectione duriorum quarundam & incommodiorum locutionum, quæ in nonnullis Reformatorum Doctorum scriptis passim reperiuntur, quæ infirmioribus scandalum, adversariis calumniam subministrare solent. Britanni nostri Theologi toti in eo erant, sed & Hassiaci, & vos etiam Bremenses, sani hujusce consilij rationibus paulo acrius urgendis non defuistis. Omittuntur nonnulla, quæ Crocius premit & sibi servat; subiiciuntur autem, quæ sequuntur: Neq; decrit unquam (si quid ego hariolari possum) contentionum materia, donec ista litium infesta seges autoritate publicâ radicitus evelli possit. Quod ut fiat, exorandi sunt orbis Domini, ut conventu doctorum Theologorum tempestivè habito, communi consilio (interveniente ipsorum imperio) tollantur ista sive calami sive mentis σφάλματα & qualiacunq;. Hæc Josephus Hallus ad Crocium, apud quem epistola illa legitur. Videtur mihi, ut hoc obiter addam, in Synodo Dordracena idem contigisse, quod in Tridentina olim accidit. Fuerunt ibi, qui sæpissimè rectiora monuerunt; sed superati sunt ab iis, qui rectiora aut non intelligunt, aut intelligere nolunt, quorum numerus semper major extitit, ut historia Concilij Tridentini, quæ sub nomine Petri Suavis Polani prodiit, & divinitus quasi publicam lucem adspexit, nos ignorare non patitur.

Dissert. IX.
 n. 122.

XII.

Cæterùm antequam ulterius progrediamur, dispiciendum nobis prius, quæ Augustini in iis, de quibus hætenus differuimus, mens fuerit. Nunquam ille cum Zwinglio, Calvino & complicibus eorum docuit, Deum tam nobilem naturam, qualis humana est, eò fine produxisse, ut peccato & æternæ damnationi obnoxia fiat. Contrarium passim reperitur. Nos ex multis locis unum atq; alterum nunc adscribemus. Fecit Deus hominem rectum, inquit, ab initio humanae creature, & non est iniquitas apud Deum. Ac per hoc prima pravitas, quæ Deo non obeditur, ab homine est, quia ex rectitudine, in qua eum Deus primitus fecit, suâ malâ voluntate decidens, pravus effectus est. Et alibi: Malitiam non ipse (DEUS) fecit, sed aut originaliter

*l. de corrept. & grat. c. VI.
 de grat. & lib. arb. c. 21.*

liter tracta est ab ipso Adam, aut crevit per propriam voluntatem.
Et rursus: *Detestanda & abominanda est opinio, quæ Deum cuius- Ad art.
quam male voluntatis aut male actionis credit autorem.* Quibus *fals. imp.*
quia gemina prorsus sunt verba secundæ Arausicanæ synodi, & ipsa
addimus: *Aliquos ad malum divina potestate prædestinatos esse, non cap. 25.
solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere ve-
lint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Hæc Patres A-
rausicani. Prorsus etiam cum Augustino; idem hîc sentit Scriptor
*de vocatione gentium: Omnes homines, inquit, in primo homine sine l. 1. c. 3.
vitio conditi sumus, & omnes nature nostræ incolumitatem ejusdem ho-
minis prævaricatione perdidimus.* Hæc ille. Cæterum suppositâ
masâ corruptâ Augustinus existimat, Deum ex omnibus illis, quos
peccatum Adami æterno exitio implicavit, nonnullos tantum *de
tam debita perditione liberare velle, idq; secundum propositum, ut pas-
sim loquitur, h. e. secundum placitum voluntatis suæ, ut mentem suam l. de bon.
ipse interpretatur.* Unde verba, quibus Deus in Scripturis gra- *pers. c. 8.*
tiam & misericordiam suam ad omnes extendit & nemini in uni-
versum viam ad salutem præcludit, adhibitâ sic satis violentâ inter-
pretatione in sensum à mente Spiritus S. prorsus alienum detor-
quet. Per omnes videlicet, quos Deus salvos velle dicitur, non o-
mnes & singulos homines, sed omnes gentes, omnesq; hominum
nationes intelligit, juxta illud piè demortuorum in Apocalypsi: *Re- Apoc. V. 9.
demisti nos Deo per sanguinem tuum ex omni tribu, & lingua, & popu-
lo, & natione.* Ubi autem animadvertit, per omnes homines vi
contextûs & tot apertissimorum aliorum Scripturæ locorum sin-
gulos intelligendos esse, vocabulo *velle*, quod simplicissimæ aliàs
significationis est, vim facit, & ideò dici existimat, Deum in uni-
versum omnes salvos velle, non quòd ipse id velit, sed quòd efficiat,
ut nos id ipsum velimus. Quam interpretationem contortam esse,
nemo non videt.

XIII.

Cæterum ne tanto ecclesiæ doctore, (salvâ cuius honorificentia
omnia dicta volumus,) injuriam facere videamur, ipsa eius verba
in medium afferemus. *Cum audimus, inquit, & in sacris literis le- Enchir. ad
gimus, quòd velit omnes homines salvos fieri, id certè sic dictum est: Laur. c. 103
Qui omnes homines vult salvos fieri, non quòd nullus hominum esset,
quem*

quem salvum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos, quos dicit acturos fuisse pœnitentiam, si fecisset: sed ut omnes homines omne genus humanum intelligamus, per quascunq; differentias distributum, reges, privatos, nobiles, ignobiles &c. Et paulò post: Isto locutionis modo Dominus est usus in evangelio, ubi ait Phariseis: Decimatis mentam & rutam & omne olus. Neq; enim Pharisei & quascunq; aliena & omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant. Sicut ergo hic omne olus omne olerum genus; ita & illic omnes homines omne hominum genus intelligere possumus. Hæc ibi.

l. de cor. & grat. c. 15. Alibi alteram, quam ei paulo ante tribuimus, explicationem habet: Potest etiam, inquit, sic intelligi, quòd omnes homines Deus vult salvos fieri, quoniam nos facit velle; sicut misit spiritum filij sui clamantem abba pater, i.e., nos clamare facientem. Si ergo clamantem spiritum rectè dixit Scriptura, à quo efficitur, ut clamemus; rectè etiam & volentem Deum, à quo efficitur, ut velimus. Nos scilicet, quia de discrimine electorum & reproborum, (quinam illi sint, quinam isti,) in hac vita nihil compertum habemus, vult velle & ita facit velle Deus, ut omnes salvi fiant. Atq; ad hunc modum Augustinus voluntatem salvandi homines, quæ in Deo est, ad paucos restringit. Quò positò consequenter docet, prædestinationem non secundum præscientiam fidei sed absolutum Dei beneplacitum factam esse, contra quàm ante certamina Pelagiana statuerat: Intelligamus, inquit, vocationem, quâ sunt electi, non qui eliguntur, quia crediderunt, sed qui eliguntur, ut credant. Hanc enim & Dominus ipse satis aperit, ubi dicit: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Nam si propterea electi erant, quoniam crediderant, ipsi eum prius utiq; elegerant credendo in eum, ut eligi mererentur. Aufert autem hoc omnino, qui dicit: Non vos me elegistis, sed ego vos elegi — Elegit ergo eos de mundo, cum hic ageret in carne, sed jam electos in seipso, ante mundi constitutionem. Hæc est immobilis veritas prædestinationis & gratiæ. Nam quid est, quod ait Apostolus: Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem? Quod profecto si propterea dictum est, quia præscivit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipse credentes, contra istam præscientiam loquitur filius, dicens: Non vos me elegistis, sed ego vos elegi: cum hoc potiùs præscierit Deus, quòd ipsi eum fuerint electuri, ut ab illo mererentur eligi. Hæc iterum S. Augustinus. Similia & insequentibus & alibi reperias passim.

XIV. Me.

XIV.

Merito autem, stantibus illis hypothefibus Augustini (quæ fal-
 sæ tamen sunt, ut paulò post apparebit,) quæstio hîc instituitur,
 quare Deus paucorum tantum misertus sit, innumeros autem in
 communi miseria reliquerit? Et videtur sanè inclementiæ cujus-
 dam argumentum esse, nolle, ut, qui in eadem sunt causa, in eadem
 quoq; fortuna sint. Cæterum Augustinus in omnibus ferme, qui-
 bus præsentem doctrinam complectitur, scriptis suis difficultati
 huic obviam it, *ad absolutam Dei voluntatem confugiens eumq; ab*
injustitia ita vindicans: Non sumus ingrati, inquit, quod secundum
placitum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ tam multos liberat
misericos Deus de tam debita perditione, ut si inde neminem liberaret,
non esset injustus. Ex uno quippe omnes in condemnationem non inju-
stam judicati sunt ire, sed justam. Qui ergo liberatur, gratiam dili-
gat, qui non liberatur, debitum agnoscat. — Sed cur, inquit, non sô-
lum in parvulorum, verum etiam in geminorum una atq; eadem causa
tam diversum judicium? Nonne similis quæstio est, cur in diversa cau-
sa idem judicium? Recolamus igitur illos operarios, in vinea qui tota
die laboraverunt, & eos, qui horâ unâ, nempe causa diversa est impen-
si laboris, & tamen idem judicium in redditione mercedis. Num quid
& hîc audierunt murmurantes à patrefamilias, nisi, HOC VOLO? Et
alibi ideò uni gratiam conversionis donari ait, alteri non item, ut
debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato. — Sed inju-
stum est, inquiunt, in una eademq; mala causa hunc liberari, illum pu-
niri. Nempe ergo justum est, utrumq; puniri. — Si utriq; liberaren-
tur, lateret, quid peccato per justitiam debeatur: si nemo, quid gratia
largiretur. — Cujus vult, miseretur, non justitiæ sed misericordiæ gra-
tia, & quem vult obdurat, non iniquitate, sed veritate vindictæ. Et
rursus: Si tantum attendas ad peccatum primorum hominum, quo
massa humani generis damnari meruit, (quia secundum testimonium
Pauli Apostoli: Ex uno omnes transferunt in condemnationem,) poteris
cognoscere, judicia Dei esse justissima. Inde est enim malum meri-
tum in hominibus, tam in parvulis quàm in majoribus præcedens judi-
cia Dei, ut justo ejus judicio puniantur. Quare autem in hoc, ut dixi,
malo merito præcedenti non omnes puniuntur, aut cur inde non omnes
salvantur: ego serviens Domino in timore & exultans cum tremore

l. de bono
 pers. c. VIII

ep. CV.

l. 3. Hypog.
 contra
 Pelag.

miseritiam ei & iudicium cantabo: quia iudicium facit precedente causa; salutem verò donat ac misericordiam, prævniendo malam causam. Hæc Augustinus.

XV.

*l. de bon.
pers. c. 14.*

Ex quibus, quòd eadem, quâ supra Reformati usi sunt, rimâ elabendi hîc utatur, manifestum est. Existimat videlicet, Deo iniustitiæ notam inuri non posse, si statuatur, eum pœnas æternæ damnationis, quas ab omnibus sumere iustissimè potuisset, ab aliquibus repetere. Causæ autem, ob quas S. Augustinus novas illas & in ecclesia hæctenus inauditas sententias amplexus est, longè fuerunt gravissimæ. Adstruxerat ex Scripturis contra Pelagium, absq; speciali & intrinsecùs operante gratia Dei neminem converti & ea, quæ ad consequendam salutem necessaria sunt, præstare posse. Et ut singularem illam Dei gratiam magis magisq; extolleret atq; viribus liberi arbitrij omnia detraheret, adscriperat ei, quòd non facultatem tantùm tribuat, sed necessitatem homini sese convertendi imponat, ut ita *qui eâ liberantur, certissimè* (ut verba ipsius habent,) *liberentur.* Quibus ad istum modum à S. Augustino positis, Pelagiani, ut erant acuti, porrò ita progrediebantur: *Si specialis hominemq; ad conversionem determinans gratia necessaria est, sequitur innumeros, qui non convertuntur, ideo non converti, quòd gratiâ illâ destituantur, & quidem non suâ, sed Dei culpâ, qui eam non contulit: quòd si enim contulisset, & ipsi certissimè liberati fuissent.* Huic difficultati præstantissimum & tam felix ac promptum aliàs Augustini ingenium succubuit, & vim consequentiæ, quæ nulla tamen est, agnovit. Inde in Deo voluntatem nonnullos tantùm salvandi, eamq; absolutam primus Augustinus admisit, & secundùm eam electionem factam esse credidit, ut ex tota Augustini doctrina, cum primis autem ex iis, quæ Pelagianis ex instituto opposuit, manifestum est. Et hæctenus de mente Augustini.

XVI.

Accedimus jam ad examinandam Dordrechtanorum sententiam. Ubi primum omnium, quod eam divinis literis contrariam esse ostendit, illud est. Scriptura voluntatem Dei, quâ is in salutem hominum fertur, conditionatam esse docet; sententia autem Reformatorum eandem absolutam facit: quid enim aliud est decretum

cretum absolutum, quàm absoluta homines salvandi voluntas? Antequam autem prius illud demonstremus, & simul, quòd duæ voluntates istæ consistere non possint, ostendamus, quid utraq; voluntas sit, præmittere lubet. Dicitur autem *voluntas Dei absoluta*, quâ ille absolute & citra intuitum ullius conditionis aut ordinis aliquid vult. Hæc voluntas, cùm ei Deus absolutam potentiam suam, velut executricem, subjungat, semper impletur. De qua *Es. XLVI.* proinde ipse Dominus apud Prophetam: *Consilium meum stabit, & 10.* *omnis voluntas mea fiet.* Et huc etiam illud Apostoli spectat: *Vo-* *Rom. IX.* *luntati ejus quis resistet?* *Conditionata* autem *voluntas* vocatur, cùm *19.* Deus non absolute, sed certæ conditionis, aut liberè à se constituti ordinis intuitu aliquid vult. Hæc voluntas Dei non semper efficax est, sed præstitâ, à qua pendet, conditione demum impletur, illâ non præstitâ, non impletur. Et hac conditionatâ voluntate Deus hominum salutem vult, non absolutâ: quòd si enim homines salvos fieri absolute vellet, omnes etiam salvarentur. Præterea tota Scriptura clamat, Deum, quod ad negotium restaurandæ salutis attinet, ad certum ordinem se demisisse. *Sic Deus dilexit mundum,* ait Servator apud Johannem, *ut filium suum unigenitum daret,* *Job. III. 16.* (hactenus duo reparandæ salutis media sive principia à parte Dei; sequitur illud, quod à parte hominis concurrat) *ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et alibi idem Servator inquit: *Agite pœnitentiam & credite evangelio.* *Marc. 1, 15.* Deus igitur non obstante lapsu vult, ut homines æternùm salventur, verùm non absolute, sed hac lege atq; conditione, si ordini à se liberè constituto sese submittant, h. e. pœnitentiam agant, in Christum credant & in fide per caritatem efficaci constanter ad finem usq; perseverent. Id quod porro ipsa praxis indubitatum facit: non aliter enim Deus homines ad salutem invitat, nec aliter quenquam ad eam admittit. Unde ob nimiam rei evidentiam Reformati hoc nobis largiuntur, Deum in tempore ad istum modum hominum salutem curare & velle, ab æterno autem absolute eam nonnullis decrevisse adferunt. Sed hac ratione in contradictionisabyrinthum abeunt: cùm enim voluntas absoluta & ordinata sive conditionata contradictoriè sibi invicem opponantur, (qui absolute quid vult, sine conditione vult; qui conditionatè vult, non sine,

sed cum conditione vult,) fieri non potest, ut Deus uno & eodem voluntatis actu circa unam eandemq; rem nunc absolute, nunc conditionaliter occupetur. Fit igitur argumentum. *Quod Deus in tempore conditionaliter vult, idem ab aeterno absolute velle non potest. Atqui aeternam hominum salutem Deus in tempore conditionaliter vult. Ergo.* Major primo omnis humanae cognitionis principio nititur. Minor utrinq; extra controversiam ponitur. Veritas igitur manifesta est.

XVII.

Cæterum dum hæc scribo, rimam animadverto, quâ Reformati primo intuitu elabi posse videntur. Dicant, diversum, ut in scholis loquimur, respectum hîc intervenire, & obstare, quò minùs contradictionis nodus constringi possit. Velle nimirum Deum salutem hominum ab aeterno non absolute tantum, sed etiam conditionaliter: illud antecedenter, hoc consequenter, i. e., si ad ea, quæ electionem in signo rationis antecedunt, respicias, Deum nihil ibi reperire, adeoq; citra intuitum ullius conditionis velle & decernere, ut nonnulli salventur: si autem ad ea, quæ electionem consequuntur, attendas, velle Deum, ut ij, qui ad beatam immortalitatem venire cupiunt, conditionem priùs impleant, cum eò fine eos elegerit, ut *sancti sint & inculpati in conspectu eius*. Hinc nonnulli ex modernis scribunt, Deum non omni modo absolute sed certâ ratione etiam conditionaliter quosdam ex numero hominum elegerit & prædestinasse. In Synodo quoq; Dordracena vim argumentorum, quæ Remonstrantes pro sua sententia potissimum urgent, ista distinctione effugere conantur. Verum, ut ista omnia aliquâ veritatis speciem præ se ferant, argumento tamen paulò ante allato nervum non incidunt, quinimmò rem, ubi rectâ eam viâ reputamus, magis intricant. Quæstio enim non de posteriori, quid Deus consequenter velit, sed de priori instituitur, num vid, Deus, quemadmodum in tempore certâ conditione vult, ut homo aeternum beetur, & intuitu præstitæ priùs conditionis ei beatitudinem reapse donat; ita ab aeterno intuitu eiusdem in intellectu divino præviæ impletionis beatitudinem ei decreverit? Et hîc dubitare nos non patitur divinarum Scripturarum autoritas: docemur enim in illis, Deum *secundum præscientiam* homines eligere, qua de

*Jud. Theol.
Ext. p. 63.
& seqq.*

re pluribus infra agemus. Dum igitur eligit, in eligendis aliquid *præscit* vel *prævidet*, ad quod propterea tanquam aliquid ipsò eligendi actu prius respicit. Vult itaq; Deus & decernit etiam ab æterno salutem *intuitu fidei, velut conditionis antecedentis*; non quæ antecedit *secundum rem, sed secundum præscientiam*: ut enim homines in tempore conditionem certò impleturi erant, ita tales in æternitate præcogniti sunt. Præterea quos Deus glorificat, eos & non alios glorificare decrevit. Atqui eos, qui per verbum vocati, veniunt & justificantur, ad gloriam perducit, (ut ipse Paulus Rom. VIII. hunc ordinem constituit,) Ergo tales etiam glorificare decrevit. Deniq; ut in tempore impletio conditionis ipsam salutis consequutionem antecedit, ita quoq; ab æterno in præscientia Dei destinatione ejus prior est: nos enim divinæ præscientiæ objectum præbemus, nec aliter Deus res præcognovit, ac in tempore fiunt.

XIIX.

Patet igitur ex his, Deum ab æterno *non absolute, sed conditionate & antecedenter* quidem, homini salutem decreto suo destinasse. Et ita argumentum nostrum firmo adhuc stat talo: Quod Deus in tempore sub conditione vult, illud eodem respectu (antecedenter nimirum) absolute ab æterno velle non potuit. Præterea fieri nequiquam potuit, ut præcedentiæ voluntati absolutæ decretum conditionatum subordinaretur: quomodo enim Deus iis sub conditione salutem polliceri &, nisi illa præstetur, æternam mortem verè & sapienter minari possit, quibus æternam vitam immutabili decreto jam ante destinavit, quosq; adeo æternum mori impossibile est? *Quis prudens legislator, ajunt rectissimè Remonstrantes, malum Defens. comminabitur sub conditione ei, cui malum non infligere jam ante voluntate irrevocabili decrevit? Auct. & igitur sunt & frustra dicuntur, quæ de pacto conditionato, quod absolutam electionem subsequatur, in medium afferuntur. Ideo a. Deus in tempore salutem sub conditione offert, quia ab æterno eam sub conditione donare decrevit. Quæ ut optimè cohærent, ita cum iis, quæ Scriptura tradit, pulchrè consentiunt: in ea enim pauci præ multis electi dicuntur, non ad officium faciendum, sed intuitu officij jam ante præstiti. Adde, ordinem illum, si post electionem demum constitutus est, non ad omnes sed solos electos pertinere; quod si ita est, quare*

sent. sua de præd. p. 51.

Matth. 20.

quare ab universa Scriptura, ab Apostolis, ab ipso Dei Filio omnibus præscribitur? Et hæc *prima difficultas* est, quæ Reformatis negotium facescit.

XIX.

l. c. p. 233.

Porro qui electionem ab æterno factam nulla lege aut conditione circumscribunt, ij absolutum quoq; reprobationis decretum admittere necesse habent. Et hæc *secunda difficultas* est, quæ Reformatos urget. Adeo autem, quod diximus, certum est, ut Calvinus eos puerilis ignorantia insimulet, qui *inconditionatam electionem* ita fatentur, ut *absolutam reprobationem* negent, sicut Remonstrantibus id opportunè observatum est. Hinc etiam Dordracenses in communi confessione sua utrumq; decretum absolutum faciunt. Non *dura* autem solùm, sed *horrida* planè sunt & Scripturis è diametro contraria, quæ *reprobationis decretum* secum importat. Consistit vid. in eo, quòd Deus citra intuitum impœnitentiæ, incredulitatis & inobedientiæ pro mero beneplacito maximam hominum partem æterno exitio manciparit. Cui impio effato nos unicum, sed invictum opponimus hoc argumentum: *Ob quas causas Deus in tempore homines à salute æterna excludit, ob easdem eos à salute excludere ab æterno decrevit. Atqui ob infidelitatem & contumaciam adversus evangelium Deus homines in tempore à salute excludit. Ergò.* Major negari nequit, nisi quis contrarias Deo circa idem objectum voluntates denuo affingere velit. Nec minor in dubium vocari potest, nisi simul in dubium vocatâ totius Scripturæ autoritate: ubi enim illa clamat, hominem ideo non salvari, quòd fide per caritatem efficaci suâ culpâ destituatur. Nec quicquam ad rem facit, quod inter *preteritionem*, ut *actum negativum*, & *damnationem*, ut *positivam pœnarum inflictionem* distinguunt, atq; illi absolutum beneplacitum, isti autem voluntariam contumaciam tanquam causam adsignant; præterquam enim, quòd in Scripturis de alia non-salvationis, & alia damnationis causa nec vola nec vestigium ullum apparet; illa etiam contumacia, in quam ipse Deus miseros homines inevitabili necessitate coniicit, causæ meritoria nomine venire nequit. Ita autem ex sententia Contra-Remonstrantium se res habet: non tantum enim Deus ab ipsa salute, sed etiam mediis eius, adeoq; à gratia ad obsequium evangelio præstandum

standum necessaria reprobos sequestravit. Quid itaq; aliud ob-
stat, quò minùs illi contumaces non sint, quàm æternum Dei de-
cretum? Et ita hætenus καὶ ἀληθείαν sive secundum rem argumen-
tati sumus. Porro & magis καὶ ἀνθρώπων ita procedimus.

XX.

Largiuntur nobis & vi veritatis largiri coguntur Reformati,
promissiones Dei, cùm universales sint, indifferenter ad omnes
adeoq; non ad electos tantùm sed reprobos etiam pertinere. Unde
promissio evangelij omnibus populis & hominibus promiscuè & indiscri-
minatim annunciari & proponi debet cum respicientia & fidei manda-
to, ut verba Dordracenorum habent. Sed quomodo Deus sine in-
signi illusione (venia sit verbo) iis vitam æternam polliceri potest,
quibus eam irretractabili decreto jam ante denegavit? quomodo
eidem sine extrema impietate tribui potest, quòd seriò iterum atq;
iterum juret, se nolle mortem morientis, quem irrevocabili volunta-
te æternæ morti jam ante addixit? Hæc igitur consistere planè non
possunt. Quod cùm vidisset Johannes Davenantius episcopus Sa-
risburiensis in Anglia, ad Hildebrandum unum ex Bremensibus mi-
nistris scripsit, prudenter ab eo observatum fuisse, ubi de electione
& reprobatione agitur, ibi negotium proponendarum evangelij
promissionum commiscendum non esse. Quod monitum tanto
viro, qui cæteroquin doctrina & moderatione dudum conspicuus
fuit, indignum videtur. Quæ enim hæc est Theologia, quæ unum
doctrinæ caput cum altero infestis signis committit? Eadem por-
ro incommoda cùm in Synodo Dordracena Reformati doctores
animadvertissent, monuerunt, ut Remonstrantes in proponenda
sua sententia potius circa suavem de electione doctrinam versarentur,
quàm ut odiosè doctrinam de reprobatione exagitarent. Sed Remon-
strantes non prudenter minùs quàm graviter responderunt in hunc
modum: Agnoscimus, doctrinam electionis esse suavem & consolatio-
nis plenam, reprobationis verò ingratam: sed arbitramur eas, quæ ex
absoluta & inconditionata electione eliciuntur, consolationes periculi
plenas esse, & peccandi comæatum hominibus, si ex sua indole astimen-
tur, facere, & oppositam reprobationis absolutæ jure meritoq; odiosam
esse, quia desperationis plena est, & justitiæ divinæ contraria. Neg-
id tantùm agendum ecclesiæ pastoribus, ut peccatores solentur, verùm

Sess. 136. c. 2
art. 5.

Vide Or-
thod. De-
clar. Hil-
debrandi
p. 30.

Sess. 32.

Sess. 34.
sent. circa
5. art.

D

hoc

hoc quoque studium ipsorum esse debet, ut sceleratos & improbos moneant, fugere à ventura illa reprobationis ira. Hæc illi. Immo posteriùs hodie magis necessarium est, quò major est improborum numerus, & quò plures in ea hodie sunt sententia, modò homines quomodocunq; sibi persuadeant, se salvos fore, tunc certò id futurum esse. Deniq; cum easdem, quas paulò ante notavimus, difficultates Reformati in nupero *Conventu Thoruniensi* expendissent, absolutum reprobationis decretum tantum non planè repudiarunt, & conditionatum amplexi sunt. Verba eorum in confessione, quam exhibuerunt, hac de re ita habent: *In reprobatione non tantum peccatum originale, sed etiam quoad adultos infidelitatem & impenitentiam contumacem, non quidem à Deo propriè præordinatam, sed in ipsis reprobis, ut causam desertionis & damnationis meritoriam prævisam atq; permisam, justissimòq; judicio reprobata[m] statuimus.* Ubi tamen observandum, quòd hæc sententia duo adhuc incommoda habere videatur. Primò enim absolutam electionem retinet, quod quamdiu sit, tamdiu, si consequenter quis loqui velit, absoluta quoq; manet rejectio. Deinde vice versa dico: Si reprobatio est ex prævisa contumacia, electio absoluta esse non potest, aut certè duplex salvandi homines ratio constituenda erit, una quâ Deus agat cum electis, quâ cum reprobis, altera. Sed hac de re pluribus paulò post agemus, ubi *Bremensium* sententiam discutiemus.

XXI.

Porro qui cum Augustino absolutam nonnullos salvandi voluntatem in Deo statuunt, ij, si sibi metipsis contravenire nolunt, sentire necesse habent, gratiam & *φιλανθρωπία* Dei non ad omnes sed aliquos tantum homines pertinere. Quam adsertionem tot clarissima, apertissima & ipso quasi solis radio perscripta Scripturæ dicta falsitatis arguunt & planè convincunt. *Deus, inquit Paulus, vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Ubi, quòd omnes & singuli intelligendi sint, scopus Apostoli indubitatum facit. Vult vid. Apostolus, ut Christiani preces ad Deum fundant, non pro electis, non pro piis, non pro aliis tantum, qui intra ecclesiæ moenia consistunt, verum etiam pro iis, qui foris sunt, immò pro improbissimis & sceleratissimis mortalium, ex quorum

nume.

1. Tim. II. 4.

numero Imperator Nero erat, quem veteres *lurum humano sanguine maceratum* dicere maluerunt, quàm hominem. Ratio Apostoli est, quia Deus omnes vult salvos, quæ consequentia firma est. Nulla autem esset sequela ista: Deus quosdam, & quidem electos tantum vult salvos. Ergo pro omnibus, illis etiam, de quorum interitu humanitatis nemo dubitat, orandum est. Et hæc ita Paulus. Apostolus Petrus dilucidioribus adhuc verbis voluntatem salvandi, quæ in Deo est, omnibus & singulis communem facit. *Dominus est patiens*, inquit, *nolens ullos perire sed omnes ad resipiscentiam tendere*. Negative, ut videmus, rem explicat, & Reformatorum sententiæ disertis verbis contradicit. Illorum adsertio est: *Deus vult aliquos perire*; Petri autem illa: *Non vult Deus aliquos perire*. Ubi posterior priorem vi contradictionis, primæ omnis veritatis regulæ, loco suo movet. Deniq; ipse Deus de voluntate sua nos ita erudit: *Nolo*, inquit, *mortem morientis*, sive mortui, ut Xantes Pagninus vertit, *dixit Dominus*. Non dixit *peccatoris*, sed *morientis*, i. e., ob peccata sua æternum pereuntis. Unde infra, ubi idem repetit, addit: *quid moriemini domus Israel?* Expresse etiam ibi ad eos, si qui incuriâ Prophetæ *pereant*, voluntatem suam extendit. Fit igitur argumentum. Qui non tantum eos, qui salvantur, sed eos etiam, qui *propter iniquitatem suam moriuntur*, salvos vult, ille in universum omnium salutem desiderat. Atqui Deus non tantum eos &c. Ergo.

11. Pet. III. 9

Ezech.

XIIX. 52.

c. XXXIII.

11.

v. 8. & 9.

XXII.

Quæ cum ita se habeant, adeoq; negari nullâ ratione possit, Deum omnes & singulos salvos velle, fit inde, ut Chamier, unus ex doctissimis Reformatorum, ea omnia, quæ alij suæ partis de generibus singulorum in medium afferunt, ultrò improbet & nodum aliâ ratione solvere conetur. *Sunt*, inquit, *qui distinguentes singulorum genera à singulis generum, dicunt Deum velle omnes salvari, i. e., omne hominum genus, quia nulla sit apud Deum distinctio Judæi & Græci, liberi & servi, divitis & pauperis, maris & fœminæ. At nolle tamen servari omnes, nempe eundo per singulos, ita ut nullum individuum omittatur; quomodo dicimus, Omne animal fuisse in arca Noe, etsi verum, fuisse duntaxat ex omni specie quadam. Alij omnes reduplicativè explicant, vult omnes salvari, qui salvantur, quia nemo salvatur*

Tomo 3. de

pred. l. 7.

c. 6. S. 8. 9.

& seqq.



*præter eius voluntatem. Sic dici possit, Hic magister docet omnes pue-
ros hujus civitatis, non quod omnes omnino doceat, sed quod nemo do-
ceatur, nisi quem ipse doceat. (Hac similitudine eodem modo S. Au-
gustinus utitur lib. de nat. & grat. c. XLI.) Sed harum distinctionum
neutra videtur accommodari. Nam & durum est illud 2. Petri 3. nol-
lens ullos perire, flectere ad genera singulorum, & illud certè Ezechielis
18. non vult Deus mortem peccatoris, cum mors non possit considerari in
generibus singulorum, sed in singulis generum. Sed & Pauli institu-
tum (cum sc. 1. Tim. 2. dicit, Deum velle omnes salvos fieri) seorsum ab-
jacet enim orari non pro singulorum generibus, sed pro singulis generum.
Argumento sunt reges, & πῆρες οἱ ἐν ὑπεροχῇ, pro quibus sigillatim
ecclesia orat pro variis temporibus & locis; exempli gratia pro Nerone,
tum cum hæc Apostolus scriberet. Non est verò bona ratio, Orate pro
Nerone, quia Deus vult aliquos Imperatores salvari. Altera equè im-
pingit in easdem rationes. Nam quid infantius, quàm si dicas, Deus
non vult aliquos perire eorum, qui servantur? non vult mortem pecca-
toris, quem vult servari? Orate pro Nerone, quia Deus vult servandos
servari. Ita socios suos confutat ipse Chamier & ea, quibus veri-
tatem sententiæ nostræ paulò ante demonstravimus, præclare illu-
strat & confirmat. Difficultatem autem, quæ parti suæ hîc move-
tur, ita tollere conatur: Itaq; acquiescimus, inquit, distinctioni vo-
luntatis in εὐδοκίαν & ἐναρξίαν. Hoc est νεοφύητον Chamieri.
Existimat, Deum eo modo impiorum salutem desiderare, quò eti-
am damnatorum spirituum salute, tamquam re bonâ, delectatur.
Quod cum tot invitationibus, adhortationibus, querelis, perpe-
tuis obtestationibus, quas in Scripturis à principio ad calcem re-
perimus, conciliari non potest. Nec Deus tantùm edicit, quòd
impij mortem nolit, eaq; non delectetur, sed quod insuper velit, ut
convertatur & vivat. Dicit, se impium conversurum, se daturum
ei spiritum novum, cujus beneficiò animum suum mutare & ita
mandato divino obsecundare ac sibimetipsi novum spiritum face-
re possit. Exclamat præterea Deus: Expandi manus meus totâ die.
Christus inquit: Quoties volui congregare vos, sicut gallina pullos
suos, sed nolulistis. Quæ omnia, quòd Deus non approbativè tan-
tùm, ut loquuntur, sed effectivè etiam salutem impiorum velit, satis
superq; ostendunt. Frustra est igitur illud etiam Chamieri sub-
terfugium.*

XXIII. Stan-

XXIII.

Stante autem hac adsertione, Deum *non obstante lapsu* (quæ verba præ cæteris diligenter attendenda sunt) omnes salvos velle, suâ sponte inde fluit, quòd solum peccatum originale post lapsum adæquata damnationis causa esse non possit. Notanter dico, *adæquata causa*: quòd enim *sufficiens damnationis causa* sit, nemo nisi Pelagianus negaverit, immo sufficiens omnes damnandi causa fuisset, nisi Deo novum gratiæ foedus sancire placuisset. Cæterum *adæquata causa non est*, i.e., solum peccatum, quod ab ortu trahimus, non facit, ut homo post lapsum in barathrum æterni exitij præcipitetur, sed accedat semper voluntaria adversus evangelium contumacia, necesse est. Id quod de adultis ambabus, quod dicitur, manibus quilibet largietur. De infantibus, qui à labe originali per baptismum non purgantur, gentilium cum primis, dubium moveri fortè posset: sed nec illa res magnam difficultatem habet: ibi enim contemptus parentum sive majorum intervenit, & facit, ut labe materna plenam vim suam exerere possit, sicut communis sententia habet & nos infra cum Autore *de vocatione gentium* docebimus. Ita igitur sub novo foedere se res habet, juxta illud immotæ veritatis apud Johannem: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui verò non paret Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Job. III. ult. Quæ omnia ideo sine diligenti consideratione hîc non dimittimus, ut demonstramus, S. Augustinum, quando illò argumentò urgetur, quòd culpa, ob quam innumeri damnantur, non tam in ipsis, quàm in Deo hæreat, siquidem is gratiam ad evadendam damnationem necessariam iis non conferat: tunc, inquam, Augustinum ad causam & culpam communem confugere & *soli originali peccato* damnationem acceptam ferre non posse, quod ille tamen millies facit, immo hac unicâ ratione omnia Pelagianorum argumenta eludit. Ita igitur absolutum quoq; August. decretum planè concidit. Et hæc *tertia difficultas* est, pergamus ad quartam.

XXIV.

Qui *absolutum decretum* tuentur, non *gratiam tantum & misericordiam Dei particularem* faciunt, sed *meritum Christi* etiam quoad utilitatem & fructum suum ad paucos restringunt. Quod posterius ad prius illud suâ sponte consequitur: quos enim Deus gratiâ & benevolentia suâ non dignatur, iis nec Filium suum donat,

D 3

præfer-

tenſebitur, qui Filium Dei conculcarit & ſanguinem fœderis, per quem fuerat ſanctificatus, profanum duxerit, & ſpiritum gratiæ contumeliâ affecerit? Ex quibus omnibus ita argumentamur: Qui non tantum pro electis, ſed iis etiam, qui pereunt, mortuus eſt, ille pro omnibus mortuus eſt. Atqui Chriſtus &c. Ergo.

XXV.

Quæ cum ſole meridiano clariora ſint, fatentur hinc in Synodo Dordracena ipſi etiam Reformati, quod mors Filij Dei ſit infiniti valoris & pretij, abundè ſufficiens ad totius mundi peccata expianda, ita quidem, ut non fiat hoſtiæ Chriſti in cruce oblata defectu vel inſufficientia, quod multi in infidelitate pereunt. Quibus verbis primo intuitu ſuum merito Chriſti valorem ſic ſatis apertè tribuere videntur. Sed memores poſtmodum *absoluti decreti* (quod, ut videmus, adſeriores ſui nunquam non erroribus implicat,) eâ attexunt, quæ priora ſubvertunt & ſufficientiam mortis Chriſti planè enervant. Fuit hoc Dei Patris, inquit, liberrimum conſilium & gratioſiſſima voluntas atq; intentio, ut mortis pretioſiſſimæ Filij ſui vivifica & ſalviſica efficaciam ſeſe exereret in omnibus electis, ad eos ſolos fide juſtificante donandos & per eam ad ſalutem inſallibiliter perducendos. Hæc illi Chriſtus igitur ſecundum ſenſum Dordracenorum pretium redemptionis ex ſe aliàs ſufficiens non eâ intentione perſolvit, ut omnibus proſit. Unde, cum ſolos electos efficaciter redemiſſe, addunt. Sed quæ hæc eſt mortis Chriſti ſufficientia? Ponamus, nobilem illum virum, quem ſupra in ſimilitudine noſtra aliquos ſubditorum ſuorum redemiſſe diximus, tantum pro iis, quos redemit, perſolviſſe pretium, quò omnes, ſi voluiſſet, liberare potuiſſet: ipſum autem eò nomine non dediſſe pretium, quin pro lubitu ſuo præfractè noluiſſe, ut omnes à Turcis dimitterentur, num, inquam, verè & absque ſuoco dici poteſt, eum miſeros ſubditos, quos in perpetuis carceribus reliquit, redemiſſe? nequaquam. Rectiſſimè igitur Remonſtrantes: *Quis unquam dixerit, inquit, pro eo ſufficienter ſolvi, cuius nec loco, nec bono quicquam perſolvitur? Quid juvat miſerum captivum, ſi quis pro alio multas auri tonnas perſolvat, quo potuiſſet mille & mille alios captivos redimere, ſi interim ipſi liberando ingenti illâ ſummâ prodeſſe nolit, & pro illo redimendo ne teruncium quidem expendere velit; imo ſi futurum ſit, ut ex hac in paucos alios profuſa*

Seſſ. 136. c. 2

art. 3.

art. 6.

art. 8.

num. IX.

2. art.

fuſa

*fusa liberalitate, ipsius captivitas decuplo gravior & intolerabilior red-
datur? Hæc in eum sensum præclare Remonstrantes.*

XXVI.

ep. IV.

num. 9.

Quas difficultates cum expendisset *Johannes Camero*, Burdegalen-
lensis primùm in Gallia verbi divini minister, post S. Theologiæ in
Academia Salmuriensi Professor, paulò rectiora & saniora tum de
gratiæ divinæ amplitudine, tum de meriti Christi sufficientia tra-
dere cœpit. Inter opera eius miscellanea epistolæ aliquot conti-
nentur, eximio cuidam viro, cujus nomen suppressum & literis ini-
tialibus L. C. tantùm significatum est, inscriptæ, in quibus multa
occurrunt observatu dignissima. Nos quædam adscribimus. *Tibi
non probatur, inquit, quòd scripsi, CHRISTUM PRO OMNIBUS
ESSE MORTUUM. At hæc Spiritus S. vox est, hæc est totius ecclesiæ
confessio. Sic Deus, inquit Dominus, mundum dilexit, ut dederit fi-
lium unigenitum, ut quicumq; nosti cetera. Tu istis verbis hunc sensum
affingis, SIC DEUS DILEXIT CREDENTES. Ubi est acumen tuum?
Donum hîc commune proponitur, efficacia doni adjecta fidei conditione
restringitur: Non est hoc obvium? non hoc vides? Ecclesiæ verò Chri-
stum non alio magis quàm SALVATORIS MUNDI titulo condeco-
rat. — Pro impiis Christum esse mortuum & verè eos redemisse, ipsa
docet Scriptura, 2. Pet. II. 2., Heb. X. 29., & ne quis cavillationi locus sit,
id ipsum iis exprobrat, ad summi sceleris revincendos, quod tantum be-
neficium, tanti beneficii autorem ultro aspernati sint. Ista Camero.
Ibidem præcipua duo argumenta solvit, quibus socij sui sufficientiam
& universalitatem meriti Christi aliàs oppugnant. Unum est, quòd
meritum Christi non omnibus offeratur; quòd non omnibus re-
apse profit, alterum. Utrumq; solvit, ut dixi, Camero, illud per
retorsionem, ut loquuntur, qui artis disputandi gnari sunt, istud per
instantiam. *Querunt, inquit, unde sit, quòd Christus non offertur
omnibus, siquidem pro omnibus mortuus est? At ego vicissim quero,
cur non offertur solis credituris, siquidem pro iis solis est mortuus? Hoc
est verè hoc αὐτὸ ἔπος μετὰ βασιλείου. Nos agimus de patetacta Dei vo-
luntate, illi confugiunt ad arcanum Dei consilium. Aliquid dicerent,
nisi hominum culpâ id accideret, quòd evangelium non predicatur, ta-
meti hominum dignitate non fiat, quòd aliquando, quòd alicubi predi-
catur. Non minùs profecto Dominus commendavit evangelij predi-
cationem**

erationem, quam erogationem eleemosynæ & alia pietatis officia. Quid quod Adamo, Noacho, parentibus humani generis verbum illud vita commisit, quod si à posteris neglectum est, illi id viderint. Et paulò ante: Meministi in evangelio instructum convivium, id convivium ego arbitror esse Christum crucifixum, ad id convivium multi fuerunt invitati, quorum nemo accessit. Negabis, in eorum gratiam convivium fuisse instructum? Et alibi: Sol iste, qui lucet omnibus, dormienti aut sponte oculos claudenti non lucet, nullo tamen solis vitio id accidit, sed illius, qui solis beneficio non utitur. Ita Christus pro omnibus mortuus est, sed eos demum mors illa facit beatos, qui verà fide eam amplectuntur. Hæc ad eum modum Johannes Camero, qui inter Reformatos primus in Gallia mitiores & moderatiores sententias amplexus dicitur.

ep. III.

XXVII.

Hæc igitur, ubi particulare fit meritum Christi, quarta difficultas est, quæ unà cum tertia illa, ubi particularis gratia adstruitur, partem Reformatam vehementer urget. Præterea sicut dato uno absurdo sequuntur plura, ita hîc ex difficultate difficultas nascitur. Sublatâ universalitate gratiæ Dei & meriti Christi, fiducia, quâ tum in illo tum in isto salutis nostræ fundamento recumbimus, & quæ propterea ipsa quasi anima fidei est, firmo amplius talo stare non potest. Inde perit omnis certitudo salutis, perit omne solatium, quò illi, qui de favore Dei desperant, perfundendi sunt & refocillandi. Id quod ita patet. Fidei, cujus interventu justificamur & salvamur, nativa indoles requirit, ut homo certò sibi persuasum habeat, Deum sibi ob meritum Filij sui ad se pertinens esse propitium. Credere ergo tenetur, Christum pro se esse mortuum. Non potest autem id ipsum firmiter tenere & credere, nisi, Christum pro omnibus mortuum esse, persuasus sit: quamdiu enim Christum pro nonnullis tantum, & quidem (intuitu reliquorum) paucissimis mortem obiisse credit, & simul incertus est, num ipse ex numero paucorum illorum sit (de quo nemo mortalium ipsum certum reddere potest) dubius certè manet de eo, num Christus pro se etiam pretium redemptionis persolverit: nã vi rectæ rationis, præsertim si recogitet, optimè novit, non posse ita colligi: Christus pro aliquibus mortuus est. Ergo pro me etiam mortem subiit. Inde perit, ut diximus, omnis

E

paulò



paulò certior salutis spes: quòd si enim pro præsenti homo nihil
habet, quò nitatur, quid de futuro sibi promittere poterit? Habet
præterea diabolus, quod semper in hunc modum objiciat: Tu tibi,
te per Christum salvum fore, persuasum habes; sed unde certus es,
te beneficiorum mortis Christi participem esse? si mors Christi ad
te non pertinet, tua ista persuasio nil nisi vana præsumptio est. Ita
hostis salutis nostræ efficere potest, ut homo anxius hæreat animiq;
Dissert. XI dubius, sicut hoc ex Reformatis ipse *Ludovicus Crocius* fusè & accu-
n. 33. & seq. ratè persequitur. Dicis: Homo niti potest isto principio: *Qui*
credit, pro eo Christus mortuus est, isq; certò salvabitur. Ego credo:
Ergo. Respondeo. Absurdum est hominem credere, antequam cre-
dit. Non potest, inquam, fides in animo gigni, nisi quis, Christum
pro se esse mortuum, sibi certò persuadeat. Frustra igitur & ἀλόγως
in majori vel minori supponitur, (credere, Christum pro me esse
mortuum,) quod vi argumentationis in conclusione demum erui-
tur. Hæc igitur ita se habent. Neque tamen idcirco statuimus,
neminem inter Reformatos fidem in Christum concipere posse:
ita enim ad unum omnes infideles essent: notamus tantùm, qui-
nam doctrinæ illius gènius sit, & quomodo vi connexionis rerum u-
num ex alio eliciatur, si homo paulò intelligentior rationes ineat,
& rem rectâ secum viâ reputet; quod ut faciat, ipse diabolus, ut o-
mnibus insidiandi occasionibus maximè intentus est, ansam præ-
bere potest.

XXIIX.

Quomodo porro Reformati desperandum consolabuntur,
si pertinaciter adseveret, se nec gratiæ Dei, nec meriti Christi con-
sortem esse, indeq; nullum prorsus fidei motum in se sentire? Nihil
prorsus hîc habent, quò jacentem animum erigere possint. Nobis
contrà fontes consolationum abundè suppetunt. Nos hominem
desperationi proximum eò revocare possumus, quòd Deus ex ani-
mo omnes salvos velit, quòd Filius Dei hoc ipso fine maximò animi
prohibiò flagitiosissimam mortem obierit, ut cuilibet aditus ad sa-
lutem pateat, qui modò immensum illum Patris amorem & præsti-
ta à Filio beneficia gratò animò agnoscere, atq; tum in illo, tum in
istis omnem adipiscendæ salutis spematq; fiduciam unicè collocare
velit. Quantum audio, inquis, nobis tandem ad explorandam fi-
dem

dem etiam recurrendum est: quòd si igitur desperabundus regerat, se nullo fidei sive fiducia sensu affici, nonne tum nos in easdem angustias coniecti sumus, in quas Reformati? Respondeo, nequaquam: illi enim ulterius progredi & fidem animo ejusmodi hominis doctrinâ suâ ingenerare non possunt, quia certiozem de eo facere nequeunt, quòd Deus ipsi bene cupiat & quòd Christus pro ipso etiam abundè satisfecerit, adeoq; quòd tutò persuasus esse possit, Deum sibi ob meritum Filij sui propitium fore. Hæc omnia secundum doctrinam Reformatorum maximè incerta sunt. Nos autem, ut de propensissima Dei Patris & Servatoris Jesu Christi voluntate, ita quoq; desperabundū de eo certissimum reddere possumus, quòd ad asylum illud tutissimè confugere possit ac debeat, quòdq; Deus & Servator nihil in se desiderari patiantur, modò ipse sibi desesse nolit. Ita secundum ductum nostræ doctrinæ fidem homini imperare & interveniente S. Spiritus auxilio, quo ille in omnibus conversionem operari paratus est, (quæ iterum nostræ doctrinæ insoles,) suaviter elicere possumus. Ista omnia igitur, quæ in hoc & præcedenti numero pertractavimus, individuo nexu ita coherent. Et hæc quinta difficultas est, properamus ad sextam.

XXIX.

Stante decreto salutis, tamquam finis absolutè intenti, necesse est, media consequendæ salutis necessaria ita comparata esse, ut iis homo infallibiliter & infrustrabiliter, ut loquuntur, ad salutem promoveatur. Hinc omnes, quotquot absolutum decretum statuunt, gratiæ Dei ad conversionem necessariæ non id tantum tribuunt, quòd facultatem homini impertiatur, sed quòd necessitatem se ad Deum convertendi imponat. Uno verbo, omnes absoluti decreti adfertores gratiam determinantem ponunt, quamquam in modo istius determinationis multum varient: alij enim physicum determinandi modum, alij moralem tantum admittunt, alij gratiam congruam statuunt, quæ omnia pluribus persequi nunc non libet. Videamus, quid Augustinus, quid item Reformati in Synodo Dordracena de istis statuunt. Verba Dordracensium ita habent: *Regeneratio neutiquam fit per solam forinsecus insonantem doctrinam, moralem suasionem, vel talem operandi rationem, ut post Dei (quoad ipsum) operationem, in hominis potestate maneat regenerari vel non*

E 2

regene-

Sess. 136.

c. 3. & 4.

art. 12.

regenerari, converti vel non converti, sed est planè supernaturalis, potentissima simul & suavissima, mirabilis, arcana & ineffabilis operatio, virtute suà secundum Scripturam (quæ ab Authore hujus operationis est inspirata) nec creatione, nec mortuorum resurrectione minor, aut inferior; adeo ut omnes illi, in quorum cordibus admirando hoc modo Deus operatur, certò, infallibiliter, & efficaciter regenerentur & actu credant. Hæc illi. Augustinus gratiam irresistibilem his verbis adstruit: Deo volenti saluum facere nullum hominum resistit arbitrium. Sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediatur, nec superet potestatem. Et paulò post: Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cælo & in terra omnia, quæcunq; voluit, fecit, & qui etiam illa, quæ futura sunt, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quò minus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, facit, habens humanorum cordium, quò placet, inclinandum omnipotentissimam potestatem. Hæc ibi. Argumenti loco alibi inter alia illud Joh. VI. Omnis, qui audit & c. adducit & sententiam suam ita confirmat: Quid est, Omnis qui audit à Patre & didicit, venit ad me; nisi, nullus est, qui audiat & discat à Patre, & non veniat ad me? Si enim omnis, qui audit à Patre & didicit, venit; profecto omnis, qui non venit, non audit à Patre, nec didicit: nam si audisset & didicisset, veniret. Neq; enim ullus audit & didicit, ac non venit; sed omnis, ut ait veritas, qui audit à Patre & didicit, venit. Et iterum: Prædestinatio sanctorum nihil aliud est, quam præscientia scilicet (quæ Deus præscit, quos liberaturus & quibus mediis eos liberaturus sit: ita namque antecedentia habent,) & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunq; liberantur. Cæteri autem ubi nisi in massa perditionis justo divino judicio relinquuntur? ubi Tyrj relictis sunt & Sidonij, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent. Sed quoniam, ut crederent, non erat eis datum, etiam, unde crederent, est negatum. Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentia, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant: & tamen si Dei altiore judicio à perditionis massa non sunt gratia prædestinatione discreti, nec ipsis adhibentur vel dicta divina vel facta, per quæ possent credere, si audirent utiq; talia vel viderent. Hæc iterum Augustinus. Vbi ex postremis verbis, eum gratiam congruam statuisse, colligere licet. Idem

l. de cor. &
grat. c. 14.

l. de præd.
sanct. c. 8.

l. de bono
pers. c. 14.

Idem Augustinus hac occasione quaestionem movet non contem- l. de cor-
 nendam, ut ait, quam propterea etiam in adiutorio Domini, in cuius rept. & gr.
 manu sunt & nos & sermones nostri, sibi aggrediendam & solvendam c. 10.
 sumit. Quæstio est, an Adam in statu integritatis, in quo conditus
 est, majorem habuerit gratiam, quam nos habemus, qui in statu gratie,
 quem vocant, constituti sumus? Augustinus partem negantem ample-
 ctitur, & nobis potentior quam Adamo gratiam tribuit, motus
 argumento suâ probabilitate haud destituito: Ille (Adam) in bonis l. c. cap. 11.
 erat, inquit, quæ bonitate sui conditoris acceperat. Sancti verò in hac
 vita, ad quos pertinet liberationis hac gratia, in malis sunt, ex quibus
 clamant ad Deum: Libera nos à malo. — In eis (sanctis hujus vitæ)
 caro concupiscit adversus Spiritum, & spiritus adversus carnem, atque
 in tali certamine laborantes ac periclitantes, dari sibi pugnandi vincen-
 diq; virtutem per Christi gratiam poscunt. Ille verò nulla talis rixa à
 seipso adversus seipsum tentatus atq; turbatus, in illo beatitudinis loco
 sua secum pace fruebatur. Hactenus Augustinus sententiam suam
 argumento firmavit. Concludit igitur: Proinde et si non interim læ-
 tiore nunc, veruntamen potentiore gratiâ indigent isti. Et paulò post
 ita pergit: Hæc est prima gratia, quæ data est primo Adam, sed hæc
 potentior est in secundo Adam. Prima est enim, quæ fit, ut habeat ho-
 mo justitiam, si velit: secunda ergo plus potest, quæ etiam fit, ut velit, &
 tantum velit, tantòq; ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria con-
 cupiscentem voluntate spiritus vincat. Et rursus: Nunc sanctis in re- l. c. cap. 12.
 gnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adiutorium
 perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur, non so-
 lum, ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam, ut per
 hoc donum non nisi perseverantes sint. Et pluribus interjectis iterum:
 Subventum est igitur, inquit, infirmitati voluntatis humanae, ut divina
 gratia indeclinabiliter & inseparabiliter ageretur, & ideo, quamvis in-
 firma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. Hæc
 Augustinus.

Quæ omnia nos in medio nunc relinquimus & ideo tantum
 adducimus, ut cuilibet pateat, tum quòd singulare acumen in Augu-
 stino fuerit, tum quòd gratiam necessitantem, quam vocant, adstru-

erit. Id quod nobis demonstrandum erat. Quæris, quare Augustinus, quare alij cum eo gratiæ Dei insuperabilem ejusmodi vim adscribant? Respondeo; Si æquâ, ut par est, lance omnia expendere volumus, quicquid ab Augustino & aliis hîc fit, studio amplificandæ gratiæ Dei & imminuendarum liberi arbitrij virium unice fit. Id quod adhibitâ unâ atq; alterâ similitudine ita ob oculos pono. Quemadmodum majorem gratiam init, qui, ubi incendium exoritur, hominem somnolentum vi arripit, humeris suis imponit & in locum securum deportat, quàm ille, qui eum ex somno tantùm excitat, & ut fugâ salutem sibi metipsi quærat, adhortatur; Quemadmodum etiam benevolentiam medici magis commendat, qui dicit, eum posthabitò pestilentissimò foetore & aliis molestiis ægroto manibus pedibusq; reluctanti potionem præbuisse, quàm qui adseverat, eum oleo quidem vires fumendi medicamentum reparasse & ægrotum ad fumendum illud hortatum esse, sed nauseanti & reluctanti vi illud non obruisse & exhibuisse. Ita gratiæ irresistibilis patroni *φιλανθρωπία* Dei se tum maximè extollere existimant, quando adseverant, eum per gratiam suam hominem in peccato mortuum ita resuscitare, ut necessariò evigilet & surgat. Quæ omnia diligentius paulò considerata ad has de gratia & libero arbitrio controversias cum moderatione tractandas multùm faciunt.

XXXII.

Cæterùm, utut finis, quem Augustinus & qui cum eo hîc faciunt, intendunt, optimus sit; media tamen, quibus eum obtinere satagunt, probari non possunt. Omnia vid. gratiæ Dei ita sunt transcribenda, ut id non fiat adhibitis falsis & erroneis, sed sanis & veris sententiis, & ne ea, quibus ipsa Scriptura gratiam Dei commendat, dum ad omnes illam extendit, convellantur; quod admisâ semel gratiâ determinante fieri, jam supra patuit, & paulò post iterum ostenderetur. Nuñc quod gratia Dei ita offeratur, ut eâ oblatâ in hominis potestate sit, per illam ea, quæ ad conversionem & salutem necessaria sunt, præstare, & si pravitati suæ indulgere velit, non præstare, in hunc modum demonstramus. *Jerusalem, Jerusalem, ait*
Matth. XXIII. 37. Servator, quæ trucidas Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina cogit pullos

pullos suos sub alas, & nolulistis? Et alibi: Hec dico, ut vos servemini. Job.V.34.

*— Nec vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Ecce Judæi, quos Christus tanto studio congregare voluit, quibus Deus præ omnibus aliis non sufficientem tantum, sed abundantem, immo superabundantem gratiam indulgit, ad eum conversi non sunt, idq; ideo, quia noluerunt. Gratia Dei igitur, ut vires ad conversionem efficacissimas præbeat, non facit tamen, ut homo necessario convertatur: quod si enim id efficeret, omnes, quibus eam Deus largitur, converterentur, id quod falsum esse, nimis manifestum est: Judæi enim, quibus, ut diximus, nihil auxiliorum & subsidiorum gratiæ divinæ defuit, ad Christum non venerunt, nec ei sunt aggregati. Cæterum Reformati ad exemplum S. Pauli provocant. Et videtur sanè Paulus, si quisquam alius, per insuperabilem quandam gratiæ vim subito in alium hominem commutatus. Sed præterquam quod ea, quæ *extra ordinem* accidunt, ita attendenda non sunt, ipse etiam Paulus de se longè aliud testatur: *Non factus sum rebellis, inquit, sive, non fui inobediens celesti visioni. Quorsum hæc diceret, si rebellis aut inobediens fieri non potuisset?**

40.

Act. XXVI

19.

XXXIII.

Manet igitur inconcussum, Spiritum S. in conversione hominis ita se gerere, ut vires & facultatem quidem donet, ita ut beneficio collatarum virium illarum tunc omnia fiant, quæ ab homine præstantur; necessitatem autem non imponat. Unde homo *potest obicem ponere gratiæ divinæ, potest obniti, potest resistere Spiritui S.* ut tot Scripturæ dicta id disertis verbis loquuntur. *Duri cervicis & incircumcisi corde & auribus, vos semper resistitis Spiritui S., sicut patres vestri, ita & vos. Et iterum: Eo (Christi sermone) audito omnis populus & publicani justificaverunt Deum, qui baptizati fuerant baptismo Johannis. Pharisei autem & legisperiti consilium Dei rejecerunt adversus semetipsos.* Ubi observandum, quando dicitur, hominem resistere Spiritui S., id ita non accipiendum esse, ac si homo se ei propriè loquendo opponat, sicut miles fortè militi pectore objicit, aut quod homo vim sancti Spiritus vi quapiam voluntatis suæ repellat, & ita superior evadat: ad hunc modum crudè nimis ista intelliguntur. Resistere hic nihil aliud est, quàm nō acquiescere inspirationi Spiritus S., nolle se ab infidelitate ad fidem convertere, nolle mu-

Act. VII.

52.

Luc. VII.

29. 30.

tare

tare animum, quæ omnia quòd voluntati humanæ tum ob mutabilitatem, tum ob insitam pravitatem rectissimè tribuantur, quis dubitet? Potius igitur negativè se habet, dum resistit homo, quam positivè. Impertinenter etiam illud hîc allegatur: *Voluntati ejus quis resistet?* non enim *absoluta* sed *conditionata* est illa *Dei voluntas*, quâ vult, ut omnes salvi fiant, sicut pridem à nobis demonstratum. Vult præterea Deus, ut homo liberè, h. e., ita conditionem illam impleat, ut ei integrum sit, eam, si ita videatur, non implere. Et quia homo animum ad deteriolem partem plerumq; applicat, fit inde, ut voluntas Dei, quâ vult, ut homines salventur, *non semper efficax* sit. Id quod non Dei sed hominis culpâ accidit, qui voluntati divinæ, dum conditionem non præstat, (ita vid. homo DEO resistit,) obnititur. DEUS interim à sua parte hoc præstat, ut omnes, *si velint, conditionè implere & ita salvari possint*. Omnes, inquam, si velint, possunt se convertere. Quam adsertionem cur Reformati tantopere exagitent & Pelagianismi insimulent, causa nulla est: nequaquam enim naturæ viribus, sed virtuti gratiæ *velle* illud tribuimus. Autor *de vocatione gentium* accuratè distinguit, & omnem, si quis hæere hîc potest, scrupulum eximit. Si vid. dicas, *quòd omnibus naturaliter sit insitum*, (verba ejus sunt) *ut, si velint, possint esse veritatis participes*, meritò id l. i. c. VII. tamquam Pelagianum rejicit; sin ita intelligas, quòd omnes *si per gratiam velint, per eandem possint converti*, alibi lubens admittit. Unde l. 2. c. VI. omnium eorum, qui à Deo unquam defecerunt, *voluntate fieri potuisse* scribit, ut à Deo non deficerent, *virtute non natura, sed gratia*, ut statim addit.

XXXIV.

Atq; ad istum modum commendamus ita *gratiam*, ut *liberum non negemus arbitrium*: id quod *fides catholica*, si sana esse debet, requirit, ut S. Augustinus in duabus epistolis, quas ad Valentinum hac de rescripsit, præclarè demonstrat. Sanè persuasi sunt Reformati, se quoq; duo illa junctim tradere, dum gratiam ita defendunt, ut voluntatem hominis in cõversione ab omni coactione liberam & immunem faciant: sed certum etiam ex Philosophia est, *libertatem à coactione*, quam vocamus, *non esse libertatem propriè & simpliciter sed impropiè & secundùm quid tantùm ita dictam*, nec esse libertatè eam, quæ *homini, ut homini, propria est*, eumq; simpliciter liberum facit;

ep. XLVI.
& XLVII.

facit; siquidem eam cum brutis communem habet. Liberum arbitrium, quod homini, quatenus homo est, competit, est vis, quæ non sponte tantum, sed ita etiam agit, ut positis omnibus ad actum necessariis, actum suum exercere aut non exercere, aut etiam hoc, aut contrarium agere valet. Unde rectissimè Ludovicus Crocius: *Ibi voluntatis libertas, inquit, quam Græci τὸ αὐτεξέσταν aut τὴν αὐτεξέσταντα appellant, incipit, ubi volendi necessitas desinit, siquidem id ipsum est libertatem voluntatis habere, posse velle, ubi & nolle possis, & vicissim.* Quamdiu igitur libertas à necessitate, quam vocant, voluntati adimitur, tamdiu liberum arbitrium cum gratia malè conciliatur. Unde, ut veritas manifesta fiat, æquivocatio illa diligenter hîc evolvenda est. Non quaeritur, *num homo sponte convertatur & non coactè?* sed: *an homo liberè convertatur, an necessariò?* Et hîc sententiam secundum nos fert Scriptura, dum innumeris in locis conversionem eo modo liberam facit, ut *in potestate hominis sit, velle se convertere, & nolle se convertere*: quid enim aliud est illud: *Volui vos congregare sed nolulistis.* Item istud: *Non vultis ad me venire.* Videatur S. Augustinus *l. de gr. & lib. arbit. c. 2.* ubi magno numero Scripturæ verba allegat, quæ homini velle & nolle tribuunt. Quibus adductis ita concludit: *Nempe ubi dicitur: Noli hoc, & noli illud, & ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.* Quæ verba Augustino vis veritatis expressit, nec iis consentanea sunt, quæ supra de gratia *necessitante* docuit. Ipse etiam aliàs non aliam voluntati libertatem, quàm quæ à coactione eam liberam præstat, admittere videtur. Unde *c. XX. l. de præd. sanet.* dicit, Deum efficere, ut *volentibus hominibus fiat, quicquid vult.* Et cap. XV. exemplum Servatoris adducit: *An ideo in illo, inquit, non libera voluntas erat, ac verò tantò magis erat, quanto magis peccato servire non poterat.* Hæc Augustinus. Longè felicius, immo felicissimè Scriptor *de vocatione gentium* se hîc expedit, cujus ista sunt: *Gratia quidem Dei, inquit, in omnibus justificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corq; ipsum illuminando & fidei affectionibus imbuendo. Sed etiam voluntas hominis subjungitur ei, atq; conjun-*

Dis. VIII.

n. 15.

U. 705. 5. 1.
c. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 133. 134. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 142. 143. 144. 145. 146. 147. 148. 149. 150. 151. 152. 153. 154. 155. 156. 157. 158. 159. 160. 161. 162. 163. 164. 165. 166. 167. 168. 169. 170. 171. 172. 173. 174. 175. 176. 177. 178. 179. 180. 181. 182. 183. 184. 185. 186. 187. 188. 189. 190. 191. 192. 193. 194. 195. 196. 197. 198. 199. 200. 201. 202. 203. 204. 205. 206. 207. 208. 209. 210. 211. 212. 213. 214. 215. 216. 217. 218. 219. 220. 221. 222. 223. 224. 225. 226. 227. 228. 229. 230. 231. 232. 233. 234. 235. 236. 237. 238. 239. 240. 241. 242. 243. 244. 245. 246. 247. 248. 249. 250. 251. 252. 253. 254. 255. 256. 257. 258. 259. 260. 261. 262. 263. 264. 265. 266. 267. 268. 269. 270. 271. 272. 273. 274. 275. 276. 277. 278. 279. 280. 281. 282. 283. 284. 285. 286. 287. 288. 289. 290. 291. 292. 293. 294. 295. 296. 297. 298. 299. 300. 301. 302. 303. 304. 305. 306. 307. 308. 309. 310. 311. 312. 313. 314. 315. 316. 317. 318. 319. 320. 321. 322. 323. 324. 325. 326. 327. 328. 329. 330. 331. 332. 333. 334. 335. 336. 337. 338. 339. 340. 341. 342. 343. 344. 345. 346. 347. 348. 349. 350. 351. 352. 353. 354. 355. 356. 357. 358. 359. 360. 361. 362. 363. 364. 365. 366. 367. 368. 369. 370. 371. 372. 373. 374. 375. 376. 377. 378. 379. 380. 381. 382. 383. 384. 385. 386. 387. 388. 389. 390. 391. 392. 393. 394. 395. 396. 397. 398. 399. 400. 401. 402. 403. 404. 405. 406. 407. 408. 409. 410. 411. 412. 413. 414. 415. 416. 417. 418. 419. 420. 421. 422. 423. 424. 425. 426. 427. 428. 429. 430. 431. 432. 433. 434. 435. 436. 437. 438. 439. 440. 441. 442. 443. 444. 445. 446. 447. 448. 449. 450. 451. 452. 453. 454. 455. 456. 457. 458. 459. 460. 461. 462. 463. 464. 465. 466. 467. 468. 469. 470. 471. 472. 473. 474. 475. 476. 477. 478. 479. 480. 481. 482. 483. 484. 485. 486. 487. 488. 489. 490. 491. 492. 493. 494. 495. 496. 497. 498. 499. 500. 501. 502. 503. 504. 505. 506. 507. 508. 509. 510. 511. 512. 513. 514. 515. 516. 517. 518. 519. 520. 521. 522. 523. 524. 525. 526. 527. 528. 529. 530. 531. 532. 533. 534. 535. 536. 537. 538. 539. 540. 541. 542. 543. 544. 545. 546. 547. 548. 549. 550. 551. 552. 553. 554. 555. 556. 557. 558. 559. 560. 561. 562. 563. 564. 565. 566. 567. 568. 569. 570. 571. 572. 573. 574. 575. 576. 577. 578. 579. 580. 581. 582. 583. 584. 585. 586. 587. 588. 589. 590. 591. 592. 593. 594. 595. 596. 597. 598. 599. 600. 601. 602. 603. 604. 605. 606. 607. 608. 609. 610. 611. 612. 613. 614. 615. 616. 617. 618. 619. 620. 621. 622. 623. 624. 625. 626. 627. 628. 629. 630. 631. 632. 633. 634. 635. 636. 637. 638. 639. 640. 641. 642. 643. 644. 645. 646. 647. 648. 649. 650. 651. 652. 653. 654. 655. 656. 657. 658. 659. 660. 661. 662. 663. 664. 665. 666. 667. 668. 669. 670. 671. 672. 673. 674. 675. 676. 677. 678. 679. 680. 681. 682. 683. 684. 685. 686. 687. 688. 689. 690. 691. 692. 693. 694. 695. 696. 697. 698. 699. 700. 701. 702. 703. 704. 705. 706. 707. 708. 709. 710. 711. 712. 713. 714. 715. 716. 717. 718. 719. 720. 721. 722. 723. 724. 725. 726. 727. 728. 729. 730. 731. 732. 733. 734. 735. 736. 737. 738. 739. 740. 741. 742. 743. 744. 745. 746. 747. 748. 749. 750. 751. 752. 753. 754. 755. 756. 757. 758. 759. 760. 761. 762. 763. 764. 765. 766. 767. 768. 769. 770. 771. 772. 773. 774. 775. 776. 777. 778. 779. 780. 781. 782. 783. 784. 785. 786. 787. 788. 789. 790. 791. 792. 793. 794. 795. 796. 797. 798. 799. 800. 801. 802. 803. 804. 805. 806. 807. 808. 809. 810. 811. 812. 813. 814. 815. 816. 817. 818. 819. 820. 821. 822. 823. 824. 825. 826. 827. 828. 829. 830. 831. 832. 833. 834. 835. 836. 837. 838. 839. 840. 841. 842. 843. 844. 845. 846. 847. 848. 849. 850. 851. 852. 853. 854. 855. 856. 857. 858. 859. 860. 861. 862. 863. 864. 865. 866. 867. 868. 869. 870. 871. 872. 873. 874. 875. 876. 877. 878. 879. 880. 881. 882. 883. 884. 885. 886. 887. 888. 889. 890. 891. 892. 893. 894. 895. 896. 897. 898. 899. 900. 901. 902. 903. 904. 905. 906. 907. 908. 909. 910. 911. 912. 913. 914. 915. 916. 917. 918. 919. 920. 921. 922. 923. 924. 925. 926. 927. 928. 929. 930. 931. 932. 933. 934. 935. 936. 937. 938. 939. 940. 941. 942. 943. 944. 945. 946. 947. 948. 949. 950. 951. 952. 953. 954. 955. 956. 957. 958. 959. 960. 961. 962. 963. 964. 965. 966. 967. 968. 969. 970. 971. 972. 973. 974. 975. 976. 977. 978. 979. 980. 981. 982. 983. 984. 985. 986. 987. 988. 989. 990. 991. 992. 993. 994. 995. 996. 997. 998. 999. 1000.

l. 2. c. IX.

F

gitur,

gitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præfidiis, ut divino in se co-
operetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod superno semine
concepit ad studium; de sua habens mutabilitate, si deficit, de gratiæ
opitulatione, si proficit. Et paucis interjectis: Sive igitur initia, sive
profectus fidelium, sive usq; in finem perseverantium cogitemus genus,
nulla species cujusquam virtutis occurrit, quæ vel sine dono divini
gratiæ, vel sine consensu nostræ voluntatis habeatur. Et iterum: Igitur sicut qui crediderunt, juvantur, ut in fide maneat, sic & qui
nondum crediderunt, juvantur, ut credant. Et quemadmodum illi
in sua habent potestate, ut exeant, ita & isti in sua habent potestate,
ne veniant. Hæc ille. Quibus omnibus gratiæ necessitas satis
superq; , & ita tamen adstruitur, ut homini sua libertas relinqua-
tur. Unde vana & inania sunt, quæ vulgò à Reformatis sententiæ
nostræ hîc impinguntur, ac si ea conversionem non tam gratiæ Dei
quàm nativis liberi arbitrij viribus transcribat; à quo tam longè illa
abest, quàm longè summum cœlum ab infima terra distat. Sup-
ponimus cum Augustino voluntatem preparatam à Domino,
(quod qui faciunt, ii juxta eundem Augustinum l. 4. advers. epist.
Pelag. c. 6. & l. de gratia Christi c. 47. non sunt Pelagiani) eamq; li-
berè se ad Deum convertere adseveramus, non eo sensu, ac si libera
hominis voluntas propriis viribus suis id præstet, sed quòd virtute
divinitus collatæ gratiæ ita se convertat, ut possit se etiam non con-
vertere. Distingvendum est igitur inter liberam voluntatem, ut
illa vires & facultatem volendi, quam ex se habet, importat, & prout
nudam voluntatis indifferentiam notat. Quæ unica distinctio om-
nes hîc tollit difficultates. Præterea Adâm in statu integritatis
adhuc constitutus habebat ejusmodi adjutorium gratiæ, per quod in
statu suo manere potuisset, si voluisset, ut ipse Augustinus id docet
& multis persequitur. Tale adjutorium gratiæ, quod vid. suam
voluntati libertatem relinquit, nos autoritate Scripturæ permoti
iis tribuimus, qui in statum gratiæ vel transferuntur primùm, vel
translati jam sunt. Quemadmodum igitur inde, quod Adâm ad-
jutoriò illò liberè usus est, (ponamus, eum aliquandiu bene usum
esse,) non rectè colligitur, quòd exactissimam observationem legis
absq; illo peculiaris gratiæ adjutorio præstiterit; ita prorsus con-
sequentiâ illa nulla est: Homo liberè se ad Deum convertit, & in
bono

l. de cor. &
gr. cap. 10.
11. 12.

bono perseverat, ita, ut possit, si velit, utrumq; Intermittere. Ergo absq; speciali gratia facit, quod facit. Et hæc sexta difficultas est, sequitur septima.

XXXVI.

Diximus, admissio semel absoluto decreto, mediis hominem ad salutem promoventibus tantam efficaciam tribuendam esse, ut illa infallibiliter effectum suum sortiantur. Hinc, qui placitum illud tenent, gratiam necessitantem adstruunt, ut hactenus patuit. Nunc probatum dabimus, Dordracenses ulterius progredi, & ad-severare, cum iis, qui semel fide justificante donantur, rem ita se habere, ut, quamdiu hanc vitam vivunt, etiamsi in exitiales hæreses, in atrocissima peccata, quibus conscientia gravissimè vulneretur, prolabantur, gratiâ Dei excidere & Spiritum S. amittere non posse. Verba Dordracensium hac de re ita habent: *Verè fideles non solum in peccata gravia & atrocia abripi possunt, verum etiam interdum justâ Dei permissione abripiuntur. Quod tristes Davidis, Petri aliorumq; Sanctorum lapsus in S. Scriptura descripti, demonstrant. Talibus autem enormibus peccatis Deum valde offendunt, reatum mortis incurrunt, Spiritum S. contristant, fidei exercitium interrumpunt, conscientiam gravissimè vulnerant, sensum gratie nonnunquam ad tempus amittunt: donec per seriam resipiscentiam in viam revertentibus paternus Dei vultus rursus affulgeat. Deus enim, qui dives est misericordia, ex immutabili electionis proposito Spiritum S. etiam in tristibus lapsibus à suis non prorsus aufert; nec eorumq; eos prolabi sinit, ut gratiâ adoptionis, ac justificationis statu excidant, aut peccatum ad mortem, sive in Spiritum S. committant, & ab eo penitus deserti, in exitium æternum sese præcipitent.* Hæc illi. Quæ horrenda sententia, primùm omnium à Calvino in theatrum ecclesiæ introducta, ita comparata est, ut ejus summam enarrasse, eam refutasse sit. Ipsi certè Reformati se hinc intricant, dum eos favore Dei excidere negant, quos mortis reatum incurrere disertis verbis confitentur. Nos proinde sententiæ, quæ seipsam confutat, unicum saltem Scripturæ dictum opponimus. *Quum avertit se justus, inquit Dominus apud Prophetam, à justitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur propter illa: propter iniquitatem suam, quam fecit, morietur.* Video etiam, *Davidem Parcum* in prolixo scripto suo, quod in Synodo

Sess. 136. c. 5
art. 4, 5, 6.

Ez. XVIII.
26.

Act. Syn.
sess. 99.

modo Dordracena publicè prælectum fuit, in solvendo argumento quodā, quod Remonstrantes à baptizatis infantibus hîc petūt, valde occupari, & sese vehementer torquere. Dicit, formam esse vitiosam. Ego in legitimam formam redactum, quia fortissimum apparet, ita propono: *Qui aliquando verè fuerunt filij Dei verèq; regenerati, jam verò, quando damnantur, non amplius sunt tales, illi desierunt esse filij Dei verèq; regenerati. Atqui innumeri, in infantia baptizati, aliquando verè fuerunt filij Dei verèq; regenerati, & jam, ubi damnantur, tales amplius non sunt. Ergo innumeri, in infantia baptizati, desierunt esse filij Dei verèq; regenerati. Quod argumentum, nisi me omnia fallunt, stringit.*

XXXVII.

Ut autem porrò pateat, quā ratione ista Dordracensium sententia seipsam jugulet, pluscula Bezae verba adscribere lubet: Et si enim fimetum illud horridarum quarundam sententiarum & locutionum, quæ in Calvino, Beza aliisq; vetustioribus occurrunt, non libenter moveamus: cum in illis mitigandis Reformati jam occupentur; quia tamen Dordrechtani hîc cum majoribus suis idem adhuc sentiunt, age, audiamus Theodorum Bezam: *Cum David & Petrus tam turpiter essent lapsi, inquit, annon in illis admodum languebat regenerationis & sanctificationis effecta? Ita est profecto. Sed ydem illi in hac tentatione, quæ ipsos profecto ad desperationem sollicitabat, incubuerunt alteri anchora, nempe testimonio, quod Spiritus S. testabatur ipsorum spiritui, eos nimirum, quamvis fædisimè lapsos, tamen in numero filiorum Dei, ac proinde remissa illis esse peccata. Hæc hactenus Beza. Non poterat autem disertius contradici S. Johanni Apostolo, qui ita scribit: Per hoc manifesti sunt filij Dei & filij diaboli. Quisquis non exercet justitiam, non est ex Deo. Sed pergat Beza. Dicit: falsam esse Satanae conclusionem scientiam, quoties colligit, falsam nostram fidem fuisse, ex eo, quod certo tempore non appareant ipsius effecta. Perinde enim argumentatur, ac si quis colligeret, nullum esse verum ignem, ubicunq; nulla flamma collucet, vel hyeme non vivere arbores, quoniam nec folia, nec fructus edunt. Hæc iterum Beza. Cujus similia non quatuor, ut commune verbum habet, sed sex septemve pedibus currunt: non magis enim Spiritus S. in animo flagitiis obruto delitescere potest, quam ignis in aqua & aqua*

Artic. 20.
p. 16.

1. Job. III.
v. 10.

p. 17.

aqua in igne. Sed audiatur adhuc semel: His igitur positis funda-
mentis, affirmo, eum, qui vel semel tota vita sua senserit certum verae fidei
testimonium, securum esse debere de ea non solum permanente, sed per-
mansura etiam ad finem usque, tum quoque, cum ea tempora incide-
rint, quibus abesse penitus videatur. Hæc rursus Beza. Quæ omnia
fide excerptorum meorum nunc adduco: scriptum enim, in quo
continentur, ad manus jam non est. Cæterum nos admonent,
quàm periculosum juxta ac perniciosum sit, novas & in ecclesia in-
auditas sententias amplecti & tueri. Unde nos Protestantes ab
illis jure meritoque dissentimus, qui fingunt opiniones, quæ nulla ha-
bent testimonia ullius temporis in ecclesia. Sentimus etiam, nullum
dogma in ecclesia novum & cum tota antiquitate pugnans recipien-
dum, ut magnus noster Chemnitius habet, qui ob cognitionem P.p.exam.
antiquitatis ecclesiasticæ, quam in hac Regiomontana, & in illustri VI. gen.
præsertim Bibliotheca sibi primùm acquisivit, & quæ alios omnes tradit.
antecelluit, meritò incomparabilis Theologus audit.

XXXIIX.

Cæterum S. Augustinus, ut jam aliquoties diximus, sententi-
am, cujus falsitatem & impietatem modò manifestam reddimus,
nunquam approbavit. Id quod ita patet: Quis homo sanae fidei re- l. de præd.
sistendum putabit, inquit, si quilibet dixerit, justum, si à sua justitia re- sanct. c. 14.
cesserit, in qua diu vixit, & in ea fuerit impietate defunctus, in qua non
dico unum annum, sed unum diem duxerit, in pœnas iniquis debitas hinc
iturum, nihil sibi præteritam suam justitiam profuturam: Huic perspi-
cuae veritati quis fidelium contradicit? Et iterum: Filijs suis Deus qui- l. de cor. &
busdam, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem gr. c. 8.
dedit, non dat perseverantiam. Et rursus: Credendum est, quosdam l. c. c. 13.
de filiis perditionis non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide,
quæ per dilectionem operatur, incipere vivere, & aliquandiu fideliter ac
justè vivere, & postea cadere. Et denuo: Si autem jam regeneratus l. c. c. 6.
& justificatus in malam vitam suam voluntate relabatur, certè iste non po-
test dicere, non accepi, quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero
amisit arbitrio. Hæc Augustinus. Ex quibus sole meridianò cla-
rius est, eum in ea fuisse sententia, justificatum non tantùm gratiam
Dei amittere posse, sed reapse etiam æternum perire. Nescio equi-
dem, quàm pulchrè cum iis, quibus supra gratiam irresistibilem ad-
servit

l.c. c. 7.

seruit, ista convenient. Quin necessariò monendum est, Augustinum, ut res ipsa loquitur, multa hìc satis perplexè tradere, ita quidem, ut in nonnullis haud obscurè sibimetipsi contravenire videatur. Illud etiam addo, adstructâ semel *necessitante gratiâ*, non videri (etiam si quis maximè consequenter loqui & sentire velit,) necessariò ponendum, *hominem non posse excidere gratiâ Dei*. Sufficit, si dicatur, cum per pœnitentiam, ubi fortè labitur, *vi denuo collatae determinantis gratiæ* resurgere. Et in hac sententia videtur mihi fuisse S. Augustinus, qui propterea ita scribit: *Quicumq; ab illa originali damnatione ista divina gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium, quod procuratur eis audiendum evangelium, & cum audiunt, credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usq; in finem perseverant: & si quando exorbitant, correpti emendantur, & quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in viam, quam reliquerant, redeunt.* Hæc Augustinus.

XXXIX.

Quam sententiam *Reformati*, qui nuper in Colloquio Thoruniensi ex universa Polonia & aliunde etiam convenerunt, itidem amplecti videntur, præsertim, quia notatum *Dordracensium errorem* rejecerunt, & quòd *homo gratiâ Dei excidere possit*, apertissimis verbis professi sunt; id quod probè observandum est. Verba eorum in confessione jam superiùs citata ita habent: *Falsò accusamur, quasi statuamus, semel justificatos Dei gratiam ejusve certitudinem & ipsum Spiritum S. non posse amittere, quamvis in peccatis pro lubitu volutentur, cum contra potius doceamus, ipsos etiam renatos, quoties in peccata contra conscientiam recidunt, in iisq; aliquandiu perseverant, nec fidem vivam, nec Dei gratiam justificantem, nedum ejus certitudinem aut Spiritum S. pro illo tempore retinere, sed novum iræ ac mortis æternæ reatum incurrere, ac propterea, nisi speciali Dei gratia excitante (quod in electis fieri non dubitamus) ad resipiscentiam iterum renoventur, re ipsa etiam damnandos esse.* Hæc illi. Ut autem supra *Dordrechtanis* & universo *Reformatorum cætui de deposito supralapsarianismo*, quem in Belgio primùm ita vocarunt, ex animo gratulati sumus, ita nunc *Thoruniensibus* illis ex intimis visceribus gratulamur, quòd pudendum errorem repudiarunt, atq; ita nobis ac veritati propiores facti sunt. Optamus etiam, ut reliqui illius partis cum
Thoru-

Thoruniensibus istis, pedibus in eandem eant sententiam, ut ita errores, quos sequius ævum invexit, & nimia contendendi & contradicendi libido peperit, æternis tenebris involvantur, atq; ab extremis ad mediam eamq; regiam viam paulatim reditus fiat. Et hæc ita se habent. Unum addo. Qui nobiscum docent, hominem justificatum per atrociam crimina se in æternum exitium præcipitare posse, necesse habent, ut ea omnia, quæ de dono perseverantiæ nonnullis tantum ex speciali Dei gratiâ collato traduntur, missa faciant.

XL.

Priusquam porro penitus hinc abeamus, inquirendum adhuc est, quodnam præcipuum Dordracensium fundamentum sit, cui sententiam hæcenus rejectam & ab ipsis Thoruniensibus Reformatis improbatam inædificant. Ubi nobis verba Dordracensium paulo ante allata recolentib; dubium esse nequit, *immutabilitatem decreti divini* unicam causam esse, ob quam pro illa sententia tamquam pro aris & focis pugnatur. Dicunt ita: Si is, qui heri unus ex numero salvandorum fuit, hodie favore Dei se indignum reddit, ita ut propterea damnandis associetur, sequitur, Deum unum eundemq; nunc salvum velle, nunc non velle, atq; ita mutari decretum & voluntatem Dei. Sed facile respondetur: aliud enim est, *rei allicujus mutationem velle*, & aliud, *voluntatem ipsam mutare*. Vult Deus, ut qui hodie à peccatis mortalibus se immunem præstat, salvetur, vult etiam, ut idem, si cras criminibus sese obstringat, damnetur, (ita vult *mutationem rerum*) sed uno & eodem voluntatis conditionatæ actu: is enim virtualiter utrumq; importat, ut, si conditio impleatur, salutem Deus velit, si eadem cesserit, interitum. Nec id mirum videri debet, cum humana quoq; voluntas utrumq; uno actu complecti possit. Pater v. g. aliquem in filium adoptat eumq; heredem omnium bonorum constituit, hac lege atq; conditione, si debitum obsequium præstet. Filius dictis patris aliquandiu audiens est, post autem degenerat. Vult igitur pater, ut is, quem antea heredem scripsit, spe adeundæ hereditatis frustretur. Ubi *mutantur res*: qui enim heres antea erat, heres amplius non est; sed *non mutatur voluntas*: pater enim jam ante id voluit, ut filius, si degener existat, spe suâ excidat. Tunc autem mutaretur voluntas, si aliquis inciperet velle, quod prius non voluit, vel desineret velle, quod

quod voluit. Durum præterea Reformatis videtur, adserere, eum, qui hodie Dei filius audit, cras in diaboli potestatem venire; eundem mutatis vicibus filium Dei rursus fieri, & fortè iterum in castra filiorum diaboli abire. Verùm longè facilius & tutius esse, ista adseverare, quàm eum, quem Scriptura indubitato filium diaboli facit, cum Beza filiis Dei annumerare, eum item, qui impuri spiritus habitaculum est, templum Spiritus S. nuncupare, quis non videt? Hæc igitur septima difficultas est.

XLI.

Porrò stante istâ adsertione, hominem, utcunq; in luto peccatorum volutetur, Deum sibi iratum reddere non posse, saluberimum & hodie observatu tantopere necessarium inter peccata mortalia & venialia discrimen è medio tollitur. Mortalia enim peccata sunt, quæ efficiunt, ut Deus propitius in iratum commutetur, quod secundùm doctrinam Reformatorem fieri nequit. Venialia autem ista sunt, quæ id non effectum dant, ut homo reatum æternæ mortis reapse incurrat. Unde Paulus: *Nulla igitur nunc est condemnatio* (nihil, quod condemnationem actu inducat) *in iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem incedunt, sed secundum spiritum*, h. e. qui à peccatis contra conscientiam immunes sunt. Sunt enim peccata, inquit Augustinus, de mortalibus verba faciens, de quibus generaliter cavendis atq; cohibendis admonemur præcepto Apostoli, ubi dicit: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus, his quippe ne obediamus ad ea, quæ non licent vel minus decent, quotidianâ & perpetuâ constitatione certandum est.* Subjicit exempli loco adulterium, à quo & similibus sceleribus qui se auxiliante Dei gratiâ immunes præstant, eos in Scriptura justos dici, ait, etiamsi sine omni peccato non vivant. *Quia sepe in levissimis, inquit, & aliquando incautis obrepit peccatum, & justis fuerunt, & sine peccato non fuerunt.* Unde alibi: *Etiam si non hic vivatur sine peccato, licet mori sine peccato, dum subinde veniâ deletur, quod subinde ignorantia vel infirmitate committitur.* Hæc Augustinus. Ideo autem dictum discrimen hodie cum primis diligenter inculcandum est, (atq; utinam loco spinosarum quæstionû & controversiarû sæpe fieret, cum magno certè emolumento fieret,) quoniam qui enormibus flagitiis dediti sunt,

huc

Rom. VIII.

1.

l. de nat. &

grat. ad v.

Pel. c. 38.

l. c. cap. 35.

corp

huc vulgò confugiunt: *Omnes sumus miseri peccatores*; ac si propterea, quòd renati infirmitatibus obnoxii sunt, iidem vel avari sint, vel scortatores, vel adulteri, vel iniusti, vel contentiosi. Es hæc *octava difficultas* est, cui uno verbo *nonam* annectimus. Qui adserit; hominem gratiâ Dei excidere non posse, doctrinam de pœnitentia lapsorum planè pervertit: per illam enim homo ex statu iræ in statum gratiæ reponitur: juxta tenorem autem doctrinæ Reformatorem fieri non potest, ut semel justificatus statui iræ denuo obnoxius fiat. Hæc igitur ita se habent.

XLII.

Porro qui *gratiam necessitantem* statuunt, adhortationibus, quæ ad pietatem instituuntur & in Scripturis utramq; paginam faciunt, omnem vim suam detrahunt; præsertim si id addant, hominem de statu gratiæ deturbari non posse. Id quod assumptâ aliquâ similitudine (cùm ille modus ad hoc, ut res perspicuè proponatur, multùm conducatur) ita ostendo. Stet alicubi ædificium, columnis undiquaq; fulcitum, parietibus munitum, & ita ab omni parte instructum, ut cadere nullo modo possit. Veniat quis & valde sollicitus sit, ut succurrat ædificio, ne corruat; ipse admoveat manum, hortetur alios ad fulcra supponenda. Nonne homo iste stolidus esset, & frustra omnia ageret? Eodem modo, si conversio hominis & perseverantia ejusdem à parte Dei (*gratiam irresistibilem & inamissibilem conferentis*) tantùm pendet, omnes adhortationes sunt frustraneæ. Quòd si autem illæ frustraneæ non sunt, ut certè non sunt, pendebunt omnia simul à cooperatione hominis, h. e. ab homine in virtute gratiæ liberè operante, liberè credente, liberè perseverante: nam *cooperari gratiæ est operari per gratiam*, ut alicubi ipse S. Augustinus explicat. Cujus doctrinam de gratia, cui resisti nequeat, *Massilienses* & alii hoc ipso ariete, quò nos eam nunc arietamus, (quòd vid. ipsa etiam adhortationes inanes faciat) haud parum labefactarunt. Quapropter etiam Augustinus librum *de correptione & gratia* scripsit, in quo vehementer se torquet, & quò se vertat, nescit, dum adhortationes factas tectas præstare nititur. Dicit corripiendos esse homines & ad resipiscentiam excitandos, *ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur*; sed *l. de corr.* addit è vestigio ista: *si tamen, qui corripitur, filius est promissionis, ut* *& gr. c. 6.*

G

strep-

strepitu correptionis forinsecus insonante atq; flagellante, Deus in illo intrinsecus occultâ inspiratione operetur & velle. Quæ quomodo cum prioribus cohæreant, quilibet videt. In uno tamen, quod vult, obtinet S. Augustinus, dum doctrinam de electione huc facere docet, ut omnia ad salutem ducentia & facientia in solidum Deo adscribantur. Aliàs non video, quomodo ea promovendæ praxi multùm prodesse possit: cùm enim nemini revelatum sit, an ex electorum numero sit, nec ne; ex eo capite, quòd electus vel non electus sit, eum nec cohortari, nec dehortari possumus. Quæ difficultas numero decima est.

XLIII.

Porro si vera sunt, ut sunt verissima, quæ hæcenus de eo, quòd renatus benevolentia Dei iacturâ facere possit, docuimus; suâ sponte cadit absoluta certitudo salutis, quam Dordracenses his verbis adstruunt: *De hac electorum ad salutem custodia, verèq; fidelium in fide perseverantia, ipsi fideles certi esse possunt, & sunt pro mensura fidei, quâ certò credunt, se esse & perpetuò mansuros vera & viva ecclesie membra, habere remissionem peccatorum & vitam æternam.* Hæc illi. Subit autem mirari, quî tantam salutis certitudinem adferre audeant, cùm aliàs omnia veræ certitudinis fundamenta subvertant, ut supra vidimus. Nos itaq; certitudinem salutis conditionatam facimus, idq; secundùm Scripturam, quæ nunquam non illud ingeminat: *Qui perseveraverit usq; ad finem, salvus erit.* Nec possumus aut debemus nobis certiùs salutem polliceri, quàm Scriptura eam promittit. Quid quod res aliter se habere non possit: cùm enim homo ea de re certus sit, quòd spe salutis, quæ pro præfenti indubitata esse potest, posthac excidere queat, de finali perseverantia non potest non esse dubius, ex qua tamen de certitudine salutis unicè judicandū. Id quod nemini mirū videri debet, cùm ipse Deus de eo, nū ille vel iste ad salutem certò perventurus sit, ex finali in fide perseverantia iudicium ferat. Unde rectissimè Scriptor de vocatione gentium. *In remotissimo, inquit, ab humana cognitione secreto præfinitio hujus electionis abscondita est, & de nullo ante ipsius finem pronunciarî potest, quòdin electorum gloria sit futurus, ut perseverantem humilitatem utilis metus servet, & qui stat, videat, ne cadat: & si fortè aliquâ victus tentatione corruerit, non absorbeatur tristitia,*
nec

Sess. 136. c. 5
art. 9.

l. 2. ult.

nec de ejus miseratione diffidat, qui allevat omnes, qui corruunt, & erigit omnes elisos. Hæc ille. Præcipuum argumentum, quò Reformatorem sententia confirmari potest, suppeditat illud Pauli: *Quis nos separabit à caritate Dei?* — *Certus enim sum, quòd neq; mors, neq; vita &c. neq; ulla alia res creata poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in C. J. Domino nostro.* Sed probè notandum, Paulum de custodia sanctorum à parte Dei verba facere, ut *Gulielmus Estius* bene ex *Cajetano & Toletò* ad hunc locum observat. Dixerat paulò ante Apostolus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam Filio non peperit &c.* Sensus igitur eorum, quæ sequuntur, est: cum tanta sit Dei caritas, ut ista omnia fecerit & filium facere voluerit, nunquam futurum est, ut nos amare desinat. Inde igitur rectè concluditur, Deum sanctis auxiliò suò nunquam defuturum; id autem inde certum non est, ipsos sanctos officium suum nunquam esse neglecturos. Nonnulli, ut hoc etiam addamus, verbis Apostoli inducti existimarunt, Paulo suam in bono perseverantiam divinitus revelatam fuisse: sed falsum id est: quia enim, se *reprobum fieri* posse, clarè statuit, de electione sua certus non fuit. Unde *Augustinus*: *Quis ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero predestinatorum se esse presumat: quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est elatio, ut etiam per Satana angelum, ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus.* Et ista difficultas undecima est. Pergamus ad alia.

XLIV.

Vidimus hæcenus multos errores, quos *absolutum decretum & gratia necessitans* pepererunt, nec omnes tamen vidimus: restant duo tresve adhuc insignes. Unus est, quòd *gratia ad conversionem necessaria paucis (electis) tantum conferatur, reliquis non item:* quòd si enim omnibus donaretur, omnes converterentur: nam infallibiter conversionem operatur, ut *Reformati* existimant. Hinc etià causa, ob quã maxima hominũ pars æternum damnatur, nõ in ipsos homines, sed in Deum referenda est: non salvantur enim reprobi, quia non præstant, quæ ad salutem consequendam necessaria sunt; ideo autem non præstant, quia gratiã, quæ ad præstanda illa requiritur, destituuntur, gratiã illã ideo destituuntur, quia Deus eã non contulit, immo, quia ab æterno eam ipsis denegare decrevit: ita

Sess. 136. c. 1 art. 6. enim Dordracenses: *Quod autem aliqui in tempore, inquit, fide à Deo donantur, aliqui non donantur, id ab aeterno ipsius decreto provenit; Omnia enim opera sua novit ab aeterno, Act. XV. 18. Eph. I. 11. secundum quod decretum electorum corda, quantumvis dura, gratiose emollit & ad credendum inflectit, non electos autem justo iudicio sua malitia & duritia relinquit.* Hæc illi. Cæterum quis non videt, ista omnia universæ Scripturæ è diametro contraria esse? num illa gratiam conversionis ad paucos restringit? num illa interitum ullius hominis denegatæ gratiæ acceptum fert? Res adeo clara est, ut *l. c. cap. 3. & 4. art. 9* ipsi Dordrechtani scribere necesse habeant: *Quod multi per ministerium evangelij vocati non veniunt & non convertuntur, hujus culpa non est in evangelio, nec in Christo per Evangelium oblato, nec in Deo per Evangelium vocante & dona etiam varia iis conferente, sed in vocatis ipsis.* Hæc iterum illi. Non confugiunt, ut videmus, ad lapsum primorum parentum, quod dum Augustinus facit, in cassum quidem laborat, attamen magis consentanea loquitur. Cæterum apertè hîc ostendunt, quòd *absolutum decretum & gratia necessitans paucis destinata consistere planè non possint: Si enim in Deo vocante & dona gratiæ per Evangelium largiente culpa & defectus non est, ob quem innumeri non convertuntur, quomodo decretum Dei facit, ut multi gratiâ ad conversionem necessariâ destituantur? si à parte hominis gratiam repudiantis culpa est, à parte Dei gratiam vi decreti denegantis esse non potest.* Video, argumentum hîc formari posse, redarguendis omnibus, quos in hac doctrina Reformati fovent, erroribus sufficientissimum. *Qui ob gratiam evangelij ultro repudiatam adeoq; suâ culpâ unice pereunt, illos Deus, quantum in se est, vult salvos, illos redemit Christus, illi gratiam ad conversionem sufficientem & omnia consequuntur, quæ ad hoc requiruntur, ut manifestum fiat, defectum non in Deo sed in hominibus habere. Atqui omnes, qui damnantur, ob gratiam evangelij ultro repudiatam &c. Ergo*

XLV.

Hæc duodecima difficultas fuit, quæ decimam tertiam statim parit: quòd si enim adjutorium gratiæ, sine quo homo converti non potest, Deus aliquibus tantum impartitur, consequens est, eum non omnes, serio, h. e., ita vocare, ut eos ex animo salvos velit. Qua ratione

tionē aut contraria Deo voluntates circa idem objectum tribuendā, aut duplicitas animi ei affingenda, ex quibus duobus utrum magis absurdum & impium sit, incertum est. Unde mihi sententiam Reformatorum nihil magis, quā hoc ipsum, invisam & exosam semper reddidit. Bonus certē vir non est *δυσωχος*, quomodo igitur in Deum hoc ullā ratione quadrabit? Quæ cum ita sint, invicta veritatis vis Dordrechtanis ista iterum extorquet: *Quotquot per evangelium vocantur, seriō vocantur: seriō enim & verisimē ostendit Deus verbo suo, quid sibi gratum sit. Nimirum, ut vocati ad se veniant. Seriō etiam omnibus ad se venientibus & credentibus requiem animarum & vitam eternam promittit.* Hæc illi. Sed verba tantum sunt: quomodo enim dici potest, quod is puerum cum præsentissimo vitæ periculo aquis fortē immersum seriō vocet, ut ex lacu ad se veniat, qui, cum eum solus extrahere & ita à submersione liberare possit, id tamen nec facit, nec facere cupit? Rectius itaq; se habent, quibus sententiam suam Reformati Thorunienfes prodiderunt: *Falsò accusamur, inquit, quasi non omnes verbo evangelij vocatos, seriō & sincerè aut sufficienter à Deo ad pœnitentiam & salutem vocari doceamus, sed pterosq; tantum simulatè & hypocriticè solā externā voluntate signi, cui nulla interna voluntas beneplaciti subsit, ut qui nullo modo omnium salutem velit. A quā sententiā, ex malè intellectis, aut etiam incommodis nonnullorum verbis in nos detortā, longissimè nos abesse, & Deo T. O. summam veritatem & sinceritatem in omnibus ejus dictis ac factis, imprimis verò in verbo gratiæ ad salutem vocantis, tribuere, nec ullas contradictorias in ipso voluntates fingere, sanctissimè profiteamur.* Hæc illi Vbi tamen observandum, ista omnia itidem frustra dici, nisi statuat, Deum singulis, qui vocantur, *sufficientes ad veniendum vires largiri*; quod ita disertis verbis ibi non exprimitur. Ad Augustinum quod attinet, vel centies etiam *duplicem vocationem*, & *duplices vocatos* introducit, alios, qui *secundum propositum* vocati sint, alios, qui non item. (Videatur *l. de prædest. sanct. c. VI, l. de bon. pers. c. XVI. de cor. & gr. c. VII., c. XIII.*) Nec potuit aliter, quia erroneam de absoluta electione hypothesin semel admisit. Et hæc *decimateria difficultas* est.

l. c. art. 8.



XLVI.

Accedimus jam ad indagandam & examinandam *Bremenſium Reformatorum* ſententiam, qui aliis ſemper moderatiores extiterunt & in nonnullis longè ſaniora docuerunt, quàm alii ſuæ partis. *Ludovicus Crocius*, ut de modernis præcipuè dicam, *Syntagma* edidit, in quo univerſalitatem gratiæ Dei & meriti Chriſti ita adſtruxit, ut magnam apud multos ſuæ partis invidiam ſibi conflarit, eouſq; ut ſcriptis ſociorum ſuorum petitus & exagitatus fuerit. Quin ſparſi ſunt in Belgio & alibi rumores, à *Theologis Bremenſibus* *Papiſmum*, *Photinianiſmum*, *Socinianiſmum*, *Pelagianiſmum* & nescio quas alias hæreſes foveri & diſſeminari. (Ita nim. vapulant omnium partium moderatiores, quod etiam exemplum *Georgij Caſſandri* nos docet, qui, etiamſi in eccleſia Pontificia mortuus ſit, quia tamen nobis Proteſtantibus paulò æquior fuit & à ſtudiis partium alienus, Moguntiæ & Monafterii apud Jeſuitas hodie *atheus* audit.) Porro in ipſa etiam Brema inter collegas exorta ſunt diſſidia. Quam ob cauſam *Hermannus Hildebrandus*, ipſe quoque ex moderatorum Bremenſium numero unus, de tribus articulis, vid. *de ſufficientia & efficaciæ mortis Chriſti*, *de cauſa meritoria reprobationis*, & deniq; *de privata communione Orthodoxam*, ut vocat, *Declarationem* edidit, eamq; unà cum judiciis magnorum partis Reformatæ Theologorum per literas hinc inde impetratis evulgavit. Nec *Ludovicus Crocius* calamo pepercit, ſed *Dyodecadem*, ut vocat, *diſſertationum exegeticarum & apologeticarum Syntagmatis* publico dedit, ubi noſtram de univerſali & ad omnes pertinente gratia & benevolentia Dei ſententiã tum dictis Scripturæ tum argumentis Theologicis ita firmavit, ut dubitem, an quisquam ex noſtris feliciter illud præſtare poſſit. Docet etiam cum *Hildebrando* hinc inde, Chriſtum *ex intentione Patris ſui* pro omnibus & ſingulis mortuum eſſe, atq; ita recedit à ſententia, quæ in Dordrechtanorum confeſſione continetur, & à nobis ſuperius allata fuit & improbata.

XLVII.

Cæterum utut hæc ita ſe habeant, unum tamen Bremenſes retinent, quò ſervatò priora illa, in quibus nobiſcum conſentiunt, firmo talo ſtare non poſſunt, præſertim ſi conſequentiis eos urgere velimus. Adſtruunt vid. *gratiam neceſſitantem*, eamq; ad converſionem
neces-

necessariam & electis vi decreti electionis peculiarem faciunt. Et Ludovicus quidem Crocius eo fine scribit, quod electio nihil aliud sit, quam consilium ac propositum Dei, quo ex merissima gratia in Christo ab aeterno constituit, ijs hoc gratiosum lumen verbi ac Spiritus sui dare, per quod postmodum è peccatoribus corruptis actu fideles in Christo & beati efficiantur. Ecce à decreto electionis derivat, quod nonnulli ex virtute & operatione verbi & Spiritus ipsius præ aliis actu & reapse fideles Dei filij sunt, ut paulo post loquitur. Ubi tamen observandum, Bremenses, etsi specialem & efficacem, quam vocant, gratiam reprobis denegent, iisdem tamen gratiam quandam communem concedere, quam Deus confert injectis orationis seu bonorum desideriorum scintillis; ut Conradus Bergius loquitur. Crocius alicubi scribit, Deum per ordinariam verbi prædicationem tantum virium supernaturalium hominibus audientibus conferre, (non solum affectu, sed effectu quodam) quantum ad positionem omnium eorum, quæ (hominibus) ex parte Dei necessaria sunt ad amovendam naturalem repugnantiam. Hæc Crocius. Verùm ut communis illa, quam Bergius ponit, gratia ad hunc salutarem effectum, fatente ipso Bergio, nempe justitiam & vitam æternam consequendam, non sufficit; ita quoq; gratia illa, quæ Crocius adstruit, hucusq; vim suam non extendit, ut homo proxime & immediatè credere & in fide perseverare possit. Et ut paucis nos expediamus, quicquid Bremenses communi isti gratiæ tribuant, tantum certè non tribuunt, quantum homini ad salutarem fidei actum eliciendum adeoq; ad conversionem satis est. Quò positò non tantum ista omnia, quòd Deus homines seriò vocet & salvos velit, & quòd Christus pro omnibus mortuus sit, corruunt; sed causa etiã damnationis in Deum unicè devolvitur. Scio, quanto conatu non tantum Bremenses, sed omnes hodie Reformati ultimum illud à se amoliri fatagant; sed amoliri non possunt, quamdiu gratiam efficacem paucis tantum attribuunt. ita enim reliqui eam ob causam non convertuntur, non, quia nolunt, sed quia non possunt: ideo autem non possunt, quia Deus vires ad conversionem necessarias non confert. Atq; hac ratione defectus in Deo hæret, non in homine. Porro si Deus ad istum modum cum hominibus agit (quod Bremenses & alij multis in locis innuere videntur,) ut electis gratiam specialem impertiatur, quæ infallibiliter convertantur; reliquis autem communis

Dissert. IX
n. 86.

Dissert. VI.
n. 134.

Dissert. XI.
n. 113.

l. c. n. 165.

Vid. dissert.
IX. n. 101.

nens

nem gratiam, quâ possint converti, si velint; voluntas salvandi homines, quæ in Deo est, absoluta simul erit & conditionata: absoluta, si ad electos, conditionata, si ad reprobos respicias. Duplex quoq; salutis via constituenda erit, una, quæ electis, altera, quæ reprobis pateat. Sed ubi in Scriptura tale discrimen reperitur? Valeat igitur gratia necessitans, quæ, si verum fateri volumus, causa omnium in hac doctrina errorum extitit, & adhuc existit.

XLIIIX.

Antequam porrò ad ea, quæ restant, progrediamur, illud adhuc monendum, *absolutum decretum* semel adfertum non solum Reformatis necessitatem quandam imponere, tot tantosq; errores, quos hætenus recensuimus, amplectendi; sed etiam ab eodem fonte manare, quod *de sacramentis* tenuiter adeo sentiunt & loquuntur. Sacramenta vid. nuda & mera ipsis signa sunt, nec *secundum se spectata effectus supernaturales & spirituales ullos producant*. Hinc in eucharistiæ sacramento veram & substantialem corporis & sanguinis Domini præsentiam tollunt; id quod si non aliunde, inde certè manifestissimum est, quòd ipsam corporis Christi substantiam in cœlo tantùm collocant, quæ si in cœlo ita est, ut alibi non sit, (quod illi volunt,) quomodo, quæso, in terris, ubi eucharistia celebratur, præsens est? Ideo autem veram & realem corporis Christi præsentiam tollunt, quia *communione corporalem*, quæ per propriè dictam, h. e., *oralem manducationem* fit, nihil prodesse statuunt. Quæ de re alibi. Nunc ad id præcipuè attendimus, quòd alteri novi fœderis sacramento, baptismo vid., omnem regenerandi vim, quam Scriptura ei tam disertis verbis tribuit, detrahunt, & infantibus, antequam lavacro illo purgantur, locum inter sanctos & filios Dei adsignant; quæ annon Pelagianismo, quem aliàs execrantur, affinia sint, quilibet iudicet. Fons autem & scaturigo istius erroris est *absoluti decreti assertio*: quòd si enim infans immutabili Dei decreto destinatus est exitio, quid proderit baptismus? quòd si item ad salutem irrevocabili voluntate electus est, quid oberit, si aquâ baptismi non abluatur. Hinc, inquam, nimis tenuiter de baptismi effectu sentiunt. Id quod nobis observandum fuit, ut ita, quàm longam errorum caudam *absolutum decretum* post se trahat, eò fiat manifestius. Dicunt ablutionem, quæ aquâ fit, externum quid esse, adeoq;

adeoq; internam animi immutationem juvare nihil posse; sed notum est, nos externæ ablutioni regenerationem non ita nudè adscribere: Spiritum S. enim causam ejus principalem constitui- mus, aquam autem instrumentalem, sicut huic objectioni B. no- ster Lutherus dudum obviam ivit, in divina epistola illa, quam ad Helveticos aliquando de dissidiis inter nos & Reformatos Germa- no idiomate perscripsit. Dicit ibi, *utringq; contentiosis clamoribus diu satis certatum esse. Cumq; experientiâ teste, ab utraq; parte iis nihil quicquam effectum sit, tandem à vociferationibus & convitiis ab- stinendum esse, & quidem hoc ipso fine, ut Spiritus S. (cui contendendi & convitiandi libidine obsistitur,) suas in nobis operationes exercere, nos veritatem dicere & caritatem in animis nostris diffundere possit. O di- vinum divini viri consilium!* X L I X.

Cæterum ut ad finem properemus. Vidimus hætenus, quæ sit *Dordrechtanorum* de propositis doctrinæ capitibus sententia. Vidimus, quòd *Thorunienses* ulteriùs progressi sint, & insignem cum primis errorem, quòd fidelis gratiâ Dei excidere nequeat, mis- sum fecerint. Faxit Deus, ut *unanimes ille omnium Polonicarum ecclesiarum consensus* innumeros alios istius partis veritati lucre- tur. Vidimus etiam, quousq; *Bremenses* pervenerint, & ubi adhuc hæreant. Det Deus, ut in agnoscendis & improbandis erroribus porrò feliciter progrediantur, & *gratiæ ad conversionem necessariæ* eam vim tribuant, quam Scriptura tribuit, & multa, immo omnia erunt expedita. Mirum non est, fateor, totum negotium simul & semel confici non posse: præterquam enim, quòd res ita facilis non est, opiniones, quas quis cum lacte materno quasi imbibit, abjice- re; difficillimum præterea, ex iis, quæ præ omnibus aliis maximè intricata & impedita sunt, se expedire. *Quis ex tantis tenebris mo- nachorum sine ulla offensione egredi potuit?* scripsit olim modestissi- mus Philippus, ad ea, quæ à se & aliis suæ partis *parum circumspe- ctè*, ut loquitur, dicta & scripta fuerant, excusanda. Ad eundem modum haud immeritò hîc dixeris: *Quis ex difficillimis & intri- catissimis quæstionibus sine ulla offensione se extricare possit?* Sed hoc *ὡς ἐν παροῦσι*. Vidimus etiam supra, quid *Johannes Camero* dudum in Gallia de amplitudine gratiæ Dei & meriti Christi docue- rit. Illud nunc addendum est, eum duos eximios reliquisse disci-

H

pulos

Tom. VI.
Jen. Ger.
p. 542.



pulos, *Amyraldum* vid. & *Testardum*, qui vestigiis præceptoris feliciter insistant & eandem doctrinam profitentur. Quod cum alios in Gallia Reformatos ministros offendisset, habita propterea est *Synodus Alenconiensis*, (cujus Acta Crocius citat,) & Amyraldo atq; Testardo, ut, quæ hæcenus docuerunt, porro doceant, permissum fuit. *Moses Amyraldus* præterea sententiam suam publico scripto explicavit, cui *Spanhemius* Professor Leidensis in Belgio, qui rigidioribus addictus est, aliud scriptum opposuit, quod nuper publicam lucem jam adspexisse dicunt; nobis autem illud videre nondum contigit. Deniq; *Franciscus Gomarus*, quem jam supra rigidissimum absoluti decreti patronum diximus, horridam sententiam suam paulò ante obitum beneficio publicæ disputationis orbi Christiano adhuc semel obtrudere voluit; sed impeditus à Collegis disputationem illam nec habere, nec publico dare potuit; ut referunt, qui Gröningæ commorati sunt. Deus illis felices propressus largiatur, qui veritatem agnoscere incipiunt. Nos etiam Spiritu S. suo ita regat, ut multos veritati lucrifaciamus, & si quos eluctandi conatus in adversariis deprehendimus, eos non impediamus, sed præclare juvemus. *Tes sanare potius cupio, quam irritare*, scribit Augustinus ad Julianum, versutissimum illum Pelagianum. Idem nobis unice spectandum. Et hæc hæcenus.

l. 1. contr.
Jul. c. 2.

L.
Nunc paucis ostendendum, quæ nostra sit de prædestinatione sententia. Docemus, eam factam esse secundum præscientiam fidei, idq; autoritate Scripturæ permoti: ita enim Petrus: *Electis*, inquit, κατὰ πρόγνωσιν secundum præscientiam, gratia & pax multiplicetur. Paulus: ἅς πρόγνωσιν, quos præscivit Deus, illos & prædestinavit. Et iterum de prædestinatione ex instituto agens; Non abiecit, inquit, Deus populum suum; ἐν πρόγνωσιν quem præcognovit. Hæc ita Scriptura. Ut autem sententia nostra eò magis perspicue proponatur, & eò melius percipiatur, observandum, eligere nihil esse aliud, quam alios ab aliis segregare & separare. Cum igitur secundum præscientiam Deus homines elegerit & alios ab aliis segregarit, necesse est, per præscientiam illam aliquid in iis, qui electi sunt, præcognitum fuisse, quod in aliis prævisum non fuit: quomodo enim aliàs secundum præscientiam electio & separatio illa fieri potuit!

1. Petr. 1. 2.
Rom. VIII
v. 29.
Cap. XI. 2.

Hæc

Hæc igitur ita se habent. Quòd autem illud, quod in eligendis à Deo præcognitum fuit, & ejus intuitu eos Deus elegit, nihil aliud quàm *fides* sit, facile liquet: per fidem enim homines in tempore discernuntur, ut illi, qui eam habent, electi & heredes regni cœlestis sint, qui eâ destituuntur, non sint. Fit igitur argumentum: *Cujus intuitu in tempore salvamur & electi habemur, ejusdem intuitu in æternitate ad salutem electi sumus; Atqui intuitu fidei &c. Ergo. Addo hoc. Si fides in tempore non obstat, quò minus gratuita sit & justificatio & salvatio, eadem non obstat, quò minus gratuita sit electio: ut enim fides in tempore quoad initium, progressum & perseverantiam suam non à nostris viribus, sed à speciali Dei gratiâ unicè pēdet, ita talis intellectui divino in æternitate objecta fuit. Quod unicum si observetur, difficultatibus, quæ hîc moventur à Reformatis, satisfieri facillimè potest. Unde hoc monitum *Tossano*, contra quem *Hunnius* noster (qui in hac doctrina primævæ simplicitati suæ restituenda multum, si non omnia præstitit) disputavit, *fides in oculis* fuit. Cœterum ut verissima, ita etiâ antiquissima est nostra sententia: ante *Augustinum* enim nemo extitit, qui eam non amplexus fuerit. Unde *Prosper Augustino* in epistola, quæ libro *de præd. sanct.* præmittitur, hoc objicit: *Illud etiam, qualiter diluatur, inquit, quæsumus, demonstras, quod retractatis priorum de hac re opinionibus pene omnium par invenitur & una sententia, qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiâ receperunt: ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios cõtumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusq; præviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua quisq; futurus esset voluntate & actione, præscierit.* Hæc *S. Prosper*. Quod ipse etiam *Aug.* ante exorta cum *Pelagio* certamina nostræ sententiæ addictus fuerit, ex scriptis ejus, quæ ante illa emisit, discere possumus. Adscribo unum ex istis locum. *Nemo eligitur, inquit, nisi jam distans ab illo, qui rejicitur: unde, quod dictum est, quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video, quomodo sit dictum, nisi de præscientia fidei & operum pietatis.* Hæc *Augustinus*.*

L I.

Haftenus duas exercitarionis nostræ partes absolvimus, dum difficultates, quæ Reformatis in hac doctrina negotium facessunt, oculis omnium exposuimus, & quæ nostra de unoquoq; propositæ doctrinæ capite sententia sit, simul adjecimus. Restat *tertia*, eaq; *ulti-*

H 2

Vid. Hun.
de præd.
p. 675.

l. 1. quest.
ad Simpl.
q. 2.

*ultima pars, ubi consideraturi sumus, quænam difficultates nostram partem hîc urgeant, & quomodo illæ, ac quousq; juxta Scripturam solvi possint. Est autem una inter eas maximè præcipua, unde reliquæ, quotquot ferme hîc occurrunt, difficultates, tamquam rivuli à fonte suo promanant. Est autem ista. Quibus Deus non curat annunciari verbum, adeoq; nec gratiam ad obtinendam salutem necessariam offert, illos non vult salvos. Atqui Deus innumeris hominibus non curat annunciari verbum, adeoq; nec gratiam ad obtinendam salutem necessariam offert. Ergo Deus innumeros homines non vult salvos. Major nititur immotò fundamentò: quòd si enim seriò Deus vult, ut homines finem consequantur, media quoque ad finem illum consequendum simpliciter & absolutè necessaria iis non denegabit; præsertim, quia homines, quamdiu sibi relinquuntur, media illa adhibere non possunt, sed à Deo vires & facultatem ad id expectare necesse habent. Adhæc probè observetur, nos hoc ipso ariete, quem adversarii contra nos hîc adhibent, contra ipsos aliàs uti, & doctrinam eorum de gratia efficaci paucis vi decreti electionis destinata eo penitus convellere, ut supra patuit. Ad minorem quod attinet, illa argumentis partim ex Scriptura petitis, partim ab experientia ductis ita confirmatur. Scriptura V. T. nobis indicium facit, Deum istis temporibus unicam Israelitarum gentem sibi in peculium delegisse, iisq; voluntatem suam manifestasse; reliquis autem tot millium millibus idem beneficium non exhibuisse, unde regius Psalmista: *Annuntiat verbum suum, inquit, ipsi Jacob, statuta sua & judicia sua Israeli. Non fecit sic cuilibet genti, & judicia ejus non noverunt.* Accedit experientia & luculentissimè attestatur, tot sæculis tot myriades hominum ante adventum Servatoris luce verbi divini caruisse, quin Paulus eousq; progreditur, ut eos *Dei expertes in mundo* fuisse adseveret. Nec temporibus adventum Servatoris subsecutis omnibus & singulis verbum Dei annuntiatum est. Augustinus hinc inde scribit, multos suo tempore adhuc superfuisse paganos, quibus verbum Dei prædicatum nunquam fuerit. Quin tales (ne de Americanis quicquam dicamus,) forsitan adhuc hodie multi existunt.*

Psalms.
CXLVII.
19.20.

Eph. II. 12.

LII.

Hæc prima & præcipua difficultas est, cui ita obviam eundum.
Major

Major allati argumenti (ut terminis artium utamur & perspicue respondeamus,) limitanda est hoc modo: Quibus Deus, *quantum in se est*, non offert media salutis, illos non vult salvos. Hinc minorem inficiamur: non enim Dei, sed hominum culpa factum est, quod innumeri illi verbi divini annuntiatione destituti fuerunt. Id quod ita patet. Deus dum primis parentibus post lapsum voluntatem suam de genere humano per Messiam redimendo ipse patefecit, omnes & singulos homines ad se vocavit & invitavit: non plures enim tum extabant; Adamo etiam injunctum sine dubio fuit, voluntatis divinæ indicium posteris facere; quod ab eo bona fide præstitum esse, quis dubitet? Idem Noacho & liberis ejus post diluvium factum est; omnes vid. & singuli homines tum denuo vocati sunt. Deniq; Servatore in communem hanc lucem edito & in cœlos translato Apostoli ad annuntiandam Dei voluntatem in totum terrarum orbem missi sunt. *In omnem terram exivit sonus eorum*, inquit Paulus, *& in fines orbis terrarum verba eorum*. Rom. X. 18. Nec opus tamen fuit, ut singulis in pagis verbum Dei ab ipsis prædicaretur: uti enim, qui ignem regioni alicui inferre cupit, officio suo satisfacit, si in cacuminibus montium rogos struat eosq; incendat; sicut etiam princeps (quâ similitudine *Lud. Crocius* utitur) *Dis. XII. n. 67.* cives sufficienter in aulam citat, si decretum in præcipuis urbis plateis, etsi non in omnibus obscuris angulis, promulgari curet; ita hîc etiam se res habet. Toties igitur Deus omnes vocavit, toties media salutis omnibus obtulit, unde quod alii iis postmodum caruerunt, non Dei sed ipsorum culpa unice factum est. Justissimo igitur *judicio fuit Deus gentes* (in poenam, quod verbo Dei per culpam *Act. XIV. 16.* & negligentiam suam semetiplos privarunt) *aliquandiu suis ipsarum viis incedere, & tempora istius ignorantia dissimulavit.* *XVII. 30.* Præterea electio Judaicæ gentis, tempore antiqui fœderis facta, non obstat universali vocationi. Primò enim reliqui vias rectas sponte suâ deseruerant. Deinde populo Judaico inferri poterant, qui volebant. Deniq; electio illa non peculiariter fiebat & faciebat ad consequendam vitam æternam: unde illi, qui ne quidem profelyti erant, salvari poterant; quales fuerunt Hiob, Nebucadnezar, Cyrus, amici Patriarcharum, alii. Quin erat in templo Hierosolymitano atrium gentium, ut notum est. Hæc igitur ita se habent.

Co-

Coeterum, dum ista meditor, occurrit, quod regeſi hinc poteſt ad iſtum modum. Si non obſtante peccato Adami, quod omnium poſteriorum peccatum fuit, (*in ipſo enim omnes peccaverunt*) Deus omnibus & ſingulis gratiam ſuam offert, multo minus propter peccata aliorum majorum gratiam iſtam cuiquam denegabit, cum illa majorum peccata poſteriorum peccata non ſint. Præterea ſi ſingulos Deus vult ſalvos, aliena culpa non obſtabit, quò minus etiam ſingulis, ea quæ ad evadendam damnationem neceſſaria ſunt, ſubmiſtret. Hæc ſecunda difficultas eſto, quam ut auxiliante divina gratia itidem ſuperemus, ulterius progredimur, & quò præter contentum majorum in ſingulis hominibus propria culpa hæreat, ita demonſtramus. Homines etſi per lapſum peculiarem donorum gratiæ, quibus Adam ad præſtandã omnibus numeris abſolutã legis obſervationẽ inſtructus fuit, jacturã fecerint; manſerunt tamen homines, adeoq; rectæ rationis lumine nõ ſunt deſtituti. Igitur propter hujus abuſũ Deus etiã ſpeciali gratia eos dignari noluit, quod docet Paulus, cum gentiles ideò *inexcufabiles* facit, quòd *veritatem* beneficio luminis naturæ ex rebus creatis perceptam *derinuerunt in injuſticia*, immo *transmutarunt in falſitatem* & noluerunt Deum in *notitia retinere* & *glorificare*. Quòd ſi iſta præſtitiffent, omnem à ſe culpam amoliti fuiſſent: Deus autem non eſſet paſſus, culpam in ſe referri; ulteriora igitur ad audiendũ evangelium & nanciſcendã cũ verbo conjunctã ſpecialẽ gratiam auxilia ſuppeditaſſet. Quæ cum ita ſint, omnes, quotquot verbo Dei deſtituti pereunt, ſuã culpã pereunt: *remota* eſt in majoribus verbum Dei repudiantibus, *propinqua* in ipſis lumine naturæ malè utentibus. Audiamus hac de re Ægidiũ Hunnium: *Cum in eis*, inquit ille, ubi de nõ renatis, qui extra eccleſiam ſunt, verba facit, *ſit aliqua de Deo notitia ex lumine naturæ & viſibilibus Dei operibus hauſta*, Rom. I., cum *pungantur intus*, & *ſtimulentur in conſcientiis ſuis ſenſu ſclerum*, nimirum cogitationibus inter ſe accuſantibus Rom. II. cum pleriq; Ethnici quandam etiam de animarum immortalitate, & ſecuturis vel premiis, vel pœnis notitiam conceperint, ut ipſorum libri palam edocent: *cum ijdem ſibi malint etiam poſt hanc vitam bene eſſe quàm malè*; cum nõrint eſſe Deum, qui pura mente, (ut Cato Ethnicus ait) *colendus ſit, qui ſit ultor ſclerum*;

cum

cum insuper non possit eis prorsus incognita esse fama de Ecclesia in orbe terrarum exaltata & miraculis nobilitata, fama item de Deo Israelis, deq; Jesu Nazareno sparsa: &c. fit, ut his testimoniis, (præsertim ita coacervatis) maximè verò illo, quem dixi, splendore divina majestatis in Evangelij doctrina elucescentis, retundatur & hebetetur illud persum humana rationis iudicium: atq; sic cupiditas inquirendi in hanc doctrinam ejusq; cognoscendæ studium quoddam, apud illos locum habere queat: quod exempla in Actis Apostolorum, præsertim supra de Sergio Proconsule, de Felice & Drusilla &c. allata, non obscure comprobant. Hæcille.

LIV.

Dicis, ea, quæ hætenus allata sunt, ostendere quidem, adultos suâ culpâ sibi metipsis interitum accersere, sed cum infantibus gentilium, Turcarum, Judæorum rem aliter comparatam esse: illos enim per ætatem luminis naturæ usu destitui, nec dici posse, quòd media salutis ullâ ratione repellant aut adspernentur. Hæc tertia difficultas est, & tantum roboris habet argumentum illud, ut S. Augustinus, quando personam acerrimi absolutæ electionis patroni sustinet, omne præsidium in eo collocet. Bene etiam observat Autor de vocatione gentium, haudquaquam forte fortuna illud fieri, quòd tot myriades infantium sine baptismo hinc exeunt. Non puto, inquit, istos voluntatum patronos, simplicitate illorum tam impudenter usuros, ut aut fortuito ista dicant accidere, aut non renatos adserant non perire. Hæcille ibi. Alibi autem ostendit, quomodo difficultati isti aliqua saltem ratione satisfieri possit. Non ita incognoscibilis, inquit, est ista questio, ut nihil sit, quod de ea eruditionis possimus acquirere, si ad contemplandum id, quod videri potest, tranquillus sobrii cordis adhibeatur intuitus. Cum enim consideramus inter paganos, inter Judæos, inter hæreticos, inter ipsos Catholicos Christianos quàm multiplex pereat numerus parvulorum, quos quantum ad proprias pertinet voluntates, neq; bonum aliquid, neq; malum constat egisse: discimus, super eos illam manere sententiam, quam humanum genus prævaricatione primi parentis excepit, cujus sententiæ rigor dum etiam circa tales non resolvitur, quàm magnum illud peccatum fuerit, demonstratur. Hætenus ad communem culpam, cujus in Adamo rei facti sumus, confugit: sed hæc adæqua-

Vide cap.
XII. lib. de
pred. sancti

l. 1. c. VII.

l. 2. c. VIII.

ta

ta damnationis causa esse non potest, ut supra diximus. Ulterius igitur progreditur laudatus Scriptor, & paulò post culpam in parentes & majores, qui non præstant, quantum poterant & debebant, confert. *Omniùm exordia parvulorum, totaq; illa principia, nec dum rationalis infantia sub arbitrio jacent voluntatis alienæ, nec ullo modo eis nisi per alios consuli potest, & consequens est illos ad eorum pertinere consortium, quorum vel recto vel pravo aguntur affectu. Sicut enim ex aliena confessione credunt, ita ex aliena infidelitate non credunt.* Hæc ille. Subjicio, quæ sub initium capitis istius habet, quia ad intelligendam hujus difficultatis magnitudinem multum faciunt. *Cum omnes homines velit Deus salvos fieri, quid est, quod alienatur à salute perpetuâ tanta infantium multitudo, totq; in his ætatibus hominum millia extra vitam relinquuntur aeternam: quasi ad hoc tantum conditi sint ab eo, qui neminem odians creavit, ut quia in hunc mundum cum peccati carne venerunt, in insolubilis culpæ vincula sine reatu propriæ actionis inciderent? quid hoc profundius, quid mirabilius esse potest? — Et magis stupendum, magisq; sit mirum, quod ubi actio non offendit, ubi arbitrium non resistit, ubi eadem miseria, similis imbecillitas, causa communis est, non unum esse de tanta paritate judicium, & quales reprobat abdicatio, tales adoptat electio. Veruntamen de hac altitudine discretionis Dei non conturbabitur cor nostrum, si firma & stabili fide omne judicium Dei justum esse credamus, nec appetamus habere cognitum, quod voluit esse secretum: ut ubi investigari non potest, QUARE ita judicet, sufficiat scire, QUIS judicet.* Hæc iterum ille. S. Augustinus igitur tutissimè ad asylum occultorum Dei judiciorum confugit, cujus ista sunt: *Ad occulta ergo Dei judicia revocate, inquit, quando videritis in una causa, quam certè habent omnes parvuli, hereditarium malum trahentes ex Adam, huius subveniri, ut baptizetur, illi non subveniri, ut in ipsa obligatione moriatur, illum baptizatum in hac vita relinqui, què præscivit Deus impium futurum: istum verò baptizatum rapi ex hac vita, ne malitia mutet intellectum ejus.* Hæc ille.

*l. de gr. &
lib. arbitr.
6.23.*

LV.

Idem Augustinus duas adhuc difficultates nobis movet, quæ non minoris fermè ponderis sunt, quàm tres priores istæ fuerunt. Una est, quod Deus tantam nonnullis gratiam non confert, quan-
tam

tam si acciperent, converterentur; id quod exemplum Tyriorum & Sidoniorum nos docet, apud quos illæ si factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in Chorazin & Bethsaida, olim cum sacco & cinere resipuis-
sent. Hæc quarta difficultas est. Quinta ita habet. Si Deus non minus unius quàm alerius salutem ex animo desiderat, quæ fit, quod unum in flagrante crimine deprehensum, subito hinc evocat, alteri autem, qui eidem & forte majoribus criminibus obnoxius fuit, tamdiu tolerat, donec tandem poenitentiam agat, convertatur & salvetur. S. Augustinus hunc in finem illud ex libro *Sapientie* sæpius citat. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Ad-
ducit etiam nonnulla ex B. Cypriani libello *De mortalitate*, quem multis ac pene omnibus, qui *Ecclesiasticas literas amant*, laudabiliter notum dicit. Cæterum quod ad primam difficultatem attinet, non potest ex allegatis Scripturæ verbis id colligi, quod Augustinus vult, Deum vid. Tyriis & Sidoniis nullam penitus gratiam ad conversionem necessariam indulgisse, adeoque eos salvos fieri noluisse, sed quòd tantam, quantam aliis, (abundantem sc. vel superabundantem) gratiam impartitus non fuerit. Quòd autem Deus gratiam suam inæqualiter distribuatur, controversiâ caret. Satis est, Deum Tyriis non planè defuisse, sed sufficientem iis gratiam contulisse. Et hac ratione altera quoq; difficultas illa tollitur: sufficit enim, Deum ei, quem in vitiorum luto sese voluntatem avocatur, sufficientem, h. e., tantam gratiam largitum esse, cujus auxiliò emergere potuisset, si voluisset. Necessariò autem id statuendum est, quòd sufficientem Deus gratiam omnibus conferat, nisi causam damnationis in ipsum referre velimus. Universa profectò Scriptura hinc inde clamat, omnes etiam Reformati unanimiter fatentur, hominem sibi metipso causam interitùs sui existere. Implicat autem, hominem suâ culpâ unicè perire, &, ob denegatam à Deo gratiam perire, ut toties dictum est.

LVI.

Hactenus igitur difficultates nostræ partis contemplati fuimus, easq; pro virili solvimus. Scio equidem, quid contra illa, quæ paulò ante attulimus, excipi possit: Ipsa vid. praxis aliud docere videtur: nullum enim, quod sciam, exemplum nobis suppetit, ubi quis prævio meliori rectæ rationis usu conversus fuerit. Gentes

I

præ-

Matth. XI

21.

l. de prad.

sanct. c. 14.

& alibi.

Emch. ad

Lau. c. 103

n. LIII.

præterea, quæ Christum antecesserunt, si non meliores, certè dete-
 riores non fuerunt, iis, quæ tempora Servatoris subsecutæ sunt.
 Quàm pauci præterea de immortalitate animæ & similibus certi
 sunt, adeoq; ad excolendum naturæ lumen idonei, cum vix Philo-
 sophis demonstrationes ad illa evincenda necessariae obviæ sint.
 Ut igitur eousq; allatis difficultatibus non satisfecerimus, ut ni-
 hil reponi possit, id nemini mirum videri debet: tantæ enim sunt,
 ut iis Augustini ingenium succubuerit. Remonstrantes etiam, ut
 ut aliàs in his expediendis felicissimi sint, de infantibus tamen gen-
 tilium, de ethnicis ante natum Christum, de Americanis & simili-
 bus quæstionem sibi moveri nolunt. Quid quod Paulus huc tan-
 dem confugere necesse habeat: *ô Bédé, ô altitudo divitiarum sa-
 pientie & cognitionis Dei!* Ægidius Hunnius fontes infinitorum
 exemplorum monstrat, ubi in libero Dei arbitrio & beneplacito ac-
 quiescendum & tandem cum Apostolo in illo sistendum est? *ô
 altitudo divitiarum!* Tandem igitur cum Autore *De vocatione gen-
 tium* (qui profectò in tollendis difficultatibus nostris præclare &
 feliciter desudat) hic sistimus. Deum vid. omnes & singulos sal-
 vos velle, Christum item pro omnibus mortuum esse, fideliter cre-
 dimus & tenemus, quia Scriptura id clarissimè docet: quomodo
 autem Deus gratiam suam omnibus offerat, dicimus cum eodem
l. 2. c. VII. nullam posse scientiam comprehendere, nullam intelligentiam penetrare.
l. 1. c. VII. Quæ autem Deus occulta esse voluit, ut idem Scriptor optimè monet,
non sunt scrutanda; quæ manifesta fecit, non sunt neganda: ne & in
illis illicitè curiosi, & in istis damnabiliter inveniamur ingrati. Occulta
 sunt & ad praxin nihil quicquam faciunt, quæ in nostris difficul-
 tatibus expediri sufficienter non possunt: manifesta autem sunt &
 praxin, si rectè tradantur, juvant, sin minus, planè intervertunt,
 quæ Reformati inficiantur. Bene igitur de occultis iterum & ma-
 nifestis laudatus Scriptor: *Contrariarum disputationum, inquit, nullus*
terminus reperitur, dum non discernitur, quid manifestum, quid sit oc-
cultum. Hæc ille. Optimè deniq; Formula Concordiæ in eandem
De præd. sententiam ita loquitur: *Ea est corrupta natura nostræ curiositas, ut*
magis iis, quæ abstrusa & arcana sunt, indagandis, quàm iis, quæ de hoc
negotio Deus in verbo suo nobis revelavit, cognoscendis delectemur:
presertim quum quedam in hoc mysterio tam intricata & perplexa oc-
currant,

currant, quæ nos in mentibus nostris, acumine ingenij nostri conciliare non possumus. Sed neq; id nobis à Deo demandatum est.

LVII.

Sed pedem hîc figo, & Deo maximas ago gratias, quòd vires & facultatem ista meditandi concessit. Claudio etiam totam exercitationem verbis magni Augustini, cum voto, ut qui ea legunt & expendunt, in animum altissimè demittant. Ita autem ille de iis, qui veram de mysterio gratiæ & prædestinationis sapientiam aut habent aut habere desiderant.

Repetite assidue librum istum (intelligit, nisi valdè fallor, librum de correptione & gratia,) & si intelligitis, Deo gratias agite, ubi autem non intelligitis, orate, ut intelligatis: dabit enim vobis Dominus intel-

l. de gr. &
lib. art. c.
ult.

lectum. Mementote, scriptum esse: Si quis vestrum indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.

Jac. I. 5.

Ipsa est sapientia desursum descendens, sicut ipse Apostolus Jacobus dicit. Illam verò sapientiam repellite à vobis, & orate, ut non sit in vobis, quam detestatus est, ubi ait:

Quòd si zelum amarum habetis, & contentiones in vobis sunt, non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus & contentio est, ibi inconstantia & omne opus pravum.

Jac. III. 14
& seqq.

desursum

furfum est fapientia, primùm quidem
pudica est, deinde pacifica, modesta,
fvadibilis, plena misericordiã & fructi-
bº bonis, inestimabilis, sine simulatione.
Quid boni ergo non habebit, qui hanc fapientiam postu-
larit & impetrarit à Domino? Et hinc intelligite gra-
tiam, quia fi ex nobis effet ifta fapientia, defurfum non
effet, nec ab ipfo, qui nos creavit, Deo postulanda es-
fet. Fratres, orate & pro nobis, ut temperanter & piè
& juftè vivamus in hoc feculo, expectantes illam bea-
tam fpem & manifestationem Domini & Salvatoris
noftri Jefu Chrifti, cui eft honor, & gloria, & regnum
cum Patre & Spiritu S. in fecula feculo-
rum, Amen.



In Lateranensi Disputatione de Prae

destinatione Obeliscum acerrime

in Praef. deplorandi schismatis, nos ut verba sunt, arguit
in usus illis odiosos Deos detestatur, et nos immiser
Nos et accusat, quod si formiter persuasum sit nos ab obeliscis cor
ruptelis immunes: q. sc.

In nostra (et Lutherana) Theologia Chryzostomus ^{innumerata} multa quae
ut in ipsi dicitur profusa abundare inter
quod illi q. in colloquio Thronianensi, in ea aij moderavi
quod ut Calvini Profes, qui q. suscit in nostro Proto
celi, et multa q. esset, q. h. n. q. d. d. d. d.

Th. 2. Massilienses pty viribus hanc attribuerunt vel certe
attribuere vult sunt.

Th. 3. Aegria integra capita. dea de Braades. in
impeditis, tando hic colosione imponit. C. p. funditas

Th. 4. compedita dicitur reddere expeditissima. ^{contra} ^{Th. 2}
orthodoxos doctores paucissimos.

Th. 7. Deos acerrimum veritatis defensorum ex utantur feminis
Post-Synodum Cordracensi Arminiani injurie atro
citate pernoti, ad alia postmodum delapsi.

Th. 9. Infrascriptio q. supra Deu n. fuit injustu.

Th. XII. duo reparanda salutis principia a pte Dei
sequitur illud q. a parte hois q. currit. De q. dicit hois
Cyprianus salutem sub conditione si seculum submit
tant. Aequivoco

Th. XVII. Deos vult ut, quoad beatitudinem venire
cupiunt, q. ditione prius implent, intuitu q. ditione
per q. ditione ei beatitudinem recipere donat

Th. XXI. Phares in ea hodie se supra nro hois quocumq.
sibi persuadeant q. salutem fore. At juxta meritum
et intentionem Remonstrantium

Et de ad horreum aegrum

Et prima in Statuque translatione

Toi XXIII. Solum P. Cr. ab aequata dantis ea
ce n pt sedy tenty pntu invenit. ^{repositi qd}
T. XXIX. Sp. S. auxilio suavitelure pntu fidem
T. XXXI. Ste de dormiente. Ste de aegrum viret su
mendi p medicamentu repatis
XXXII. Quarta oblata in huius parte i pillam ea q
ad quersumem naria st postare.
XXXIII. Os si velini gatione implere posse, posse
se quere
XXXIV. Liberum n regemus arbitriu (inquies de hu
ys quersione) An parte huius e velle se quere
Certe dimiti collate gra se quere. Utatur indif
ferentia (hinc d d d d d)
XLVI. Vapulant oed ptiu moderatiores
L. Illud e intuitu eos qd d d d d d, nihil aliud q d d d d.
LV. Remonstrantur in his expediendis felicissim.

ā
h 47
sa
q
se
hu
ei
df
ls.



1549 J. Febr. causa Fabruj

Was aber durch das Erzbischof in
Königsberg Bischof und Bischof für
in niederkönigsberg Stadt zugefange
und, darüber

Wenn einem ministerio extra ordinari
et loci g. fuerit by solus pro parte vob
bitten lassen

In causa Regumontana

In Sen. Manselle furhaltung das Populi
in ad Calvianum q. inuentione n. ceterorum

populorum
Eure Populi inuentione, capp. de Prudent. facti
Exclamatione Rom. ad Proch. app. p. p.

Dordraceni Antichesis n. regerunt. Berce. oc
culorum in erroris

Spezial volar d. negat. th. 47

D. Robur. Conseruit

~~Spezial volar d. negat. th. 47~~

facta erroris - th. 48
D. H.

Col. IV. 11. & Tim IV. 11

Tristis dissidij inter Arminium Paulum et Bar-
nabum ob Marcum exemplum habemus: ut
nam id sequatur qd Chrysost. de illo: p[ro]p[ter] h[uius] mor-
toseveritatem Pauli et Barnabe mansuetudi-
nem, ut inde perterretur de praeteritis, hinc bo-
num animum resumeret de futuris. Vifa enim
Marci poenitentia et constantia, a Paulo & Barnaba laudat.
Dolemy in an g[ra]tiam privatim haec praesta-
ta Dolemy disputatio ueritate p[ro]positam, do-
lemy cum exacerbatone animi zutina rem-
geri.

In Disputatione de p[ro]p[ter] h[uius] mor-
toseveritatem Arminii non p[ro]sumus omnia p[ro]hibere
q[ui]a non congruunt ad orthodoxos & p[ro]p[ter] h[uius] mor-
toseveritatem prout illa in corpore Arminio
deklarata.

Statuimus etiam praeter mentem & calamo q[ui]i
desse in vestris literis

Venerandis Indemorem Praesidem excusata satis
habemus de eius orthodoxia ex publicis scriptis
gestat

De Respondens Declaratione non solum satis facit
Arminio ^{et s[ic]} tribuit, et post Synodum Dor-
dracena ^{deprim} ad alia delapsus scribit.

Ex h[uius] phola

Ex h[uius] fonte ortu q[ui]i des[er]t. nimis cor by hominum
tribuit, assignans illis q[ui]i influant in salutem eor[um]
ut conditio aeternam nat[ur]a, influant in poenitentia ut
pars, influant in causas conversionem ut causa
cooperans q[ui]i gra. Inde poenitentia Emblemata
s[ic] dicitur in n[ost]ris Qd. q[ui]i Theologia p[ro]p[ter] h[uius] mor-
toseveritatem p[ro]p[ter] h[uius] mor-
toseveritatem de q[ui]i d[ic]t[ur] d[ic]t[ur]

Non possumus probare quare asseritur, per
Christum Remissione peccatorum homines
acquirere jus ad rem ^{in se} v. eternam per B. & a
vero (non ut per meritum proprie dictum, sed
ut per conditionis acceptationem) acquirere jus
in ^{re} saluacionem, atq; in B. C. esse ad sa-
lucem necessaria.

Huiusmodi Dn Resp. th. 17. velle illum ut
ij qui ad immortalitatem vniuersi cupiunt conditionem
prius impleant, cum eo sine cogitatione ac si sint
et inculpata. Th. 18. in tempore certa conditione
vult ut homo eternum beatus, et intuitu presci-
tationis, ei beatitudinem respice donat.

Quod istis noois phrasibus D. Resp. velle ^{th. 17.} Disp.
de Fide et B. C. 23. 26. 43. habita legi.

Th. XI. scribit: fidei salutari voluntatis vera neces-
sitate ita copulat, ut utriusq; precepti observa-
tioni eterne vite promissionem adiucat. Th. XIII.

Iustitia in ^{incolata} haren est conditio sub qua salus a terrena
fidelibus et baptizatis tribuitur. Th. XXV. 14.

cessarium fidelibus B. C. studium, si salute
quam Christus ijs donat, potiri aliquando cupiunt.

Confel. et Th. XXVI l. 8. a fine Th. XXXI l. 4. a fine
Th. XLIV. l. 2. a opa iusticie facientibus et meritis
vult et Th. XLVII XLIX.

Dicitur haec Gregorius Corpore Doct. Preterea.

Art. non putat in ^{incolata} p. 26. 27. hinc ubi

est eo ^{incolata} Iam des. ledet tempel

et p. 40. f. b. v. in ^{incolata} p. 41. Suff.

Tabanda

Justitiam salutis media sine principia
Th. 18. sequitur illud (a quo latere
pt. ordinari n. Quidam ^{incolata} principia ^{incolata} illigenda)
quod a parte huius generis. In hac lege
gatione si in fide per certitudinem efficiatur
gstantur ad finem usq; p. 40.

Th. 2. Massilienses Ius iusto arbitrij in
attribuerunt vel certe adhibere vult. Th.
Augustinus eos fratres appellat

De Fide et B. Th. X
Animi morum

De hominis ad sui conversionem per gra-
tiam cooper
Th. II. ^{dubitative loci} ^{transmissio} plus iusto arbitrij verbes
attribuerunt vel certe attribuere vult sum
Augustinus eos fratres appellat

Non possumus de q. bene qn poena etc. deservit ut
opa nostra vlt. gratione hab. habeant, ut ^{sed} ^{Quo}
p. t. b. poena iustificat
De Resp. Th. XVI. id. q. p. t. h. o. i. a. g. u. r. r. i. t. s. i. v. e.
medus sive p. r. i. n. c. i. p. i. u. m. s. i. v. e. c. o. n. d. i. t. i. o. n. e. m. a. p. p. e. l. l. i.
u. a. p. p. i. p. l. a. c. e. a. t. q. u. e. m. a. r. i. t. s. p. e. n. i. t. e. n. t. i. a. u. t. f. i. d. i.
g. r. a. t. i. a. e. f. a. c. i. t. e. s. t. a. b. i. l. i. s. a. v. i. t. e. i. m. m. u. t. a. t. i. o. n. e.
f. i. l. i. i. g. r. a. t. i. a. s. p. r. i. n. c. i. p. i. u. m. i. n. g. r. a. t. i. a. s. i. d. e. a. r. t. i. c.
S. t. a. b. i. l. i. t. a. t. e. p. o. s. s. a. t. e. t. o. s. q. u. a. m. h. a. b. e. u. b. i.
i. n. a. r. t. i. c. o. d. o. n. d. e. B. u. s. t. i. s. t. u. m. d. i. e.
d. o. m. e. s. t. a. t. i. o. n. e. g. r. a. t. i. a. s. i. d. e. a. r. t. i. c. o. d. o. n. d. e. A. C. e.
A. p. o. l. o. g. i. o. s. i. d. e. a. r. t. i. c. o. d. o. n. d. e. A. C. e.
A. t. q. u. e. h. a. e. u. n. t. o. r. i. g. o. i. l. l. y. f. i. d. e. q. u. a. m. D. n. R. e. s. p. ^{quod}
m. o. d. i. c. i. s. d. e. f. e. n. d. i. t. p. l. u. r. i. m. o. s. q. u. e. r. r. o. r. e. s. a. m. u. l. a. t. ^{com}
Th. XXXI. D. e. i. a. t. i. o. n. e. i. n. g. r. a. t. i. a. n. d. e. g. r. a. t. i. a. q. u. i. d. e. ^{Si}
s. o. m. n. o. l. e. n. t. i. u. e. x. i. t. a. t. e. t. u. t. f. u. g. a. s. a. l. u. t. e. s. i. b. i. m. e. t. i. p. s. i. p. r. a. t. ^{com}
a. d. h. o. r. t. a. t. i. o. n. e. i. n. i. l. l. i. q. u. o. l. e. s. v. i. r. g. i. s. s. u. m. e. n. d. i. m. e. l. i. c. a. ^u
m. e. n. t. u. m. p. a. r. a. v. i. t. e. t. a. d. s. u. m. e. n. d. u. m. e. x. e. r. t. u. h. o. r. ^{Sim}
t. a. t. Th. XXXII. D. e. i. g. r. a. t. i. a. i. c. a. o. f. f. e. r. t. u. r. u. t. e. a. o. b. l. a. t. a. ^{th.}
i. n. h. o. i. s. p. a. r. t. e. s. u. t. i. l. l. u. t. e. a. q. u. a. a. d. c. o. n. v. e. r. s. i. o. n. e. m. ^{de}
e. t. s. a. l. u. t. e. m. n. e. c. e. s. s. a. r. i. a. s. t. p. o. s. t. u. l. a. t. Th. XXXIII. ^{ed}
V. u. l. t. D. e. i. s. u. t. h. o. n. o. r. i. b. e. r. e. g. r. a. t. i. o. n. e. i. l. l. u. i. m. p. l. e. a. t. Th. ^{de}
t. e. s. s. i. v. e. l. i. n. t. p. o. s. s. u. n. t. g. r. a. t. i. o. n. e. m. i. m. p. l. e. r. e. s. e. t. i. n. g. r. a. t. i. a. ^{de}
s. i. v. e. l. i. n. t. p. o. s. s. u. n. t. s. e. q. u. e. r. e. r. e. Th. XXXIV. L. i. b. e. r. y. ^{de}
a. r. b. i. t. r. i. u. m. i. n. q. u. e. s. t. i. o. n. e. d. e. h. o. i. s. q. u. e. r. e. n. d. o. e. t. g. r. a. t. i. a. ^{de}
u. t. g. r. a. t. i. a. q. u. a. h. o. i. s. q. u. a. t. e. n. g. h. o. i. s. p. e. l. i. t. e. t. v. i. s. e. p. o. s. s. u. n. t. o. i. u. s. ^{de}
a. d. a. r. b. i. t. r. i. u. m. a. c. t. u. s. s. u. u. e. x. e. r. e. r. e. u. t. n. o. n. e. x. e. r. e. r. e. ^{de}
a. u. t. d. e. h. o. c. a. u. t. D. i. v. i. n. o. a. g. e. r. e. v. a. l. e. a. t. F. i. d. e. c. o. n. v. e. r. s. i. o. n. e. m.

ut et modo libera fuit, ut in statu huius sit velle se convertere

Quomodo in eademque statuere vult Libera voluntas

ad virtutem dicitur collata gratia si convertatur, non tunc

ad virtutem indifferentia esse. huius referenda, p. de merito ex pte nra ad salutem concurrente Th. 15. de

de imperata voluntate quam interveniente Sp. Sancto elicitur p. Th. 25. de salutari fidei actu

ad conversionem elicens Th. 47. habentur.

si hiis Respondens aliter sese dicitur, et discrete

offerat hominis voluntatem tantum ad malum post

lapsum ante conversionem determinatam esse; atque

licet quoniam gratia aliquam mutationem in huius efficitur

causam, ita ut actiones pedagogicas et externas eleri

possit, non in illis conversionis causas dicitur fore vel

esse, sed huius solum Sp. S. per verbum efficiere, fidei

accendere, merito Christi apprehendit, ut in gratia justificante

quod justificans se comitatur saltem, et per assistentia schifi

contas gratia in D. O. p. acceptas novas vires cooperari

Sp. S. possit. p. 17. Corporei virtutibus dicitur ad hunc

contradictio. p. 17. vnde de merito p. de merito

que de Th. p. 40. Zum Eustu. et 41. Zum Sabasse

Similia que Th. 31. et de merito Lib. arbitrii

Th. 34. habentur n. p. vult de merito in absentia In

differentia Th. 34. Huius huius ad merito vult

educere; Reliqua Synergismus sapienter.

Non per gratia necessitate, siquidem si propter
naturalem inimicitiam affectata morosa
accidat, huius conversionem quod ex se promoveri
neque impetire potest, ut in huius sit
posse conversionem

ut
Quomodo
ad virtutem
ad virtutem
si hiis
offerat
lapsum
licet quoniam
causam
possit
esse
accendere
quod justificans
contas
Sp. S.
contradictio
que de
Similia
Th. 34
differentia
educere

Sine ulla dubitatione
referri imo p[ro]missa ^{conferunt} questio

Ex eodem jam fonte p[ro]fluunt accusationes nostrorum
cum p[ro]veritate pugnantium, et laudationes
adversariorum p[ro]vixi moderationes huc m[er]ito
videntur: in illis q[ui] p[ro]p[ri]a p[ro]p[ri]a nihil p[ro]p[ri]a p[ro]p[ri]a, ut lo
q[ui] h[ab]et 56. quae iuxta Praefationem, in nostra Philo
sophia Christiana innumerae, in q[ui] in Dissp.
de Trinit. Th. 5. 6. 7. an explicita fides Trinita
tis in V. T. ad salutem necessaria, q[uo]d in libris V. T.
non ut continetur, ut a quovis ibi deprehendi
blim potuerit: hancque et ita intellectum nostrum
ita stat ut ibi contineri perspicuum sit, argumen
tu vix leviter suadentibus nihil. Et sicut hodie
metuendum n[on] foret. ut in medium p[ro]ferat q[uo]d
a Johanne Sano Baptismata forte illud dicit
et p[ro]p[ri]a habitudo exiter, non et Christi baptismi
et p[ro]p[ri]a habitudo sit: ut n[on] op[er]e adum agere aut p[ro]p[ri]a
p[ro]p[ri]a quanta vel q[uo]d distincta. Cuius cognitio sub V. T.
necessaria fuerit dicere. Illi qui sub V. n[on] vivunt,
id op[er]a dicit ne illa, qualis et quanta hodie sub N. n[on] n[on]
sana est. careant. Et quis sciat quid sub illo innumero
rum numero. In R. intellectum velit: ut in eandem
classem schismaticorum cum Pontificis et Calvinianis nos
terios purgat, qui de innumeriis fere disceptant, cir
scuta obia inde enata et nobis tribuit, atq[ue] ne nos
excludere possimus, mutua ea appellat. q[uo]d. Illi
toto d[omi]no averseth atq[ue] hoc bello p[ro]minat. Et nos quam
libet partem sibi p[ro]miter p[ro]p[ri]a h[ab]ere se ab obis d[omi]no
corruptis et erroribus innumera esse. q[uo]d. Illi
On. Resp. in Dissp. de Fide et B[apt]o. quod sit

Es asserit Thef. XLVI. vapulare oiu partiu
moderatiores (Et u' p'rae). Moderatione ad
vinium Praefatus in conventu Thoruniensi laudet
non sine ~~causis~~ de nris ex alto silentio et quidem

Gratulationes exprobratorias nostrorum ipse
in approbatorias venit, q. spes aliqua ex amore
veritatis id facerent adversarij: cum in Borussia
fm inconstarint horreulis dogma absoluti decreti ad
incertos decipiendos; datusas v. locustropes ante
cessorj damnare voluerunt. Et sublapsurij in
immutabilitate D'ssuae fntia fundantes; si de pri
mo principio credide hiam mento viderent apere
eandem ad reliqs fntia fouere certid' est.

Itam sua lenitate si Dn R. sustinere voluerit
numq' subscribet q's que de odiosa errore
habent in corp. Pruten. Art. von H. Westf. fer
tyemq' p. 70. So sat man doch dasselbige
vny Dieselbe prembde yume flise

De Cap. XX. et XI ad Rom. declaratio melior
quam put. verba jacent, in q' e' q' de devoto M'stenta
g'ter

Magna praesumtio, iuveni de oibz Dd' iudicio ferre
Thef. VII. XV XLVI. L

^{XLVI}
Videb' Th. XLIX LVI

Sublapsurij ^{inconstans} D' Injustus in fano
+ ^{adversarij} q' ^{veritate} exstruti et goisti amplij
illud tueri n' audeant.

^{XLVII}
Ipse Th. XLV. an nos ut t'apt' em
verba ee, ut et Th.

Es
ny
ke
lo
lo
tu
T.
li
sto
im
operi
die
k
iat
me
t'fer
V.T.
mt,
naly
nere
em
nos
iru
nos
WU
am
oio
A
t

Th. XXII de fide & caritate effuasi
Th. XX mo hies quocumq; sibi p̄suadeant, se
salvos fore, tunc certo id futurū esse. Leg. ita sentit.

Th. XXIII Solus P. O. ad equata demeritis in et
n. P. sed gremio major

XXVII Ne dicit Reformatos fide in Chr̄o capere
p̄ se negat. Imo nullus ex eorū p̄ncipiū
L. Id est cogitavit Deū nosse legat nihil aliud
Q̄ fides. Hoc tpe in sacris caute

LIII. Si illa q̄ lumine Na p̄cipi p̄nt p̄stitissent
oia se culpā amolui fessent; Deū a. n. eēt p̄fessō
culpā in se referri.

Königsberg. Diss., 1610/70

ULB Halle 3
004 398 270



f
Sb.

VD 17







Inches
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DEI
TIONE
OMNES
NTATE

AX. gratia

III, S. Th. D.

omotoris sui
tis debetur,
ndi,

. Regiomont.
opono

ERMANNUS
s.

rem Carolum.

iceat in ecclesia
u patris allatam

SNERI,

1646,1

27